


PALAESTRA

LATINA



N. 226 — ANN. XLV — FASC. I
M. JAN. JUN. — A. MCMLXXV

P A L A E S T R A L A T I N A

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
CAESARAUGUSTAE EDENDI

COMMENTARIORUM CONSILIU M

<i>Praeses:</i>	A. Pérez, CMF.
<i>Moderator:</i>	M. Molina, CMF.
<i>Administrator:</i>	H. Arenas, CMF.
<i>Curator technicus:</i>	J. Aspa, CMF.
<i>Praecipui scriptores:</i>	J. M. Mir, CMF. - J. M. Jiménez, CMF.

MODERATIONIS LOCUS cui mittenda sunt scripta:

Seminario Claretiano - ALAGON (Zaragoza - España)

ADMINISTRATIONIS SEDES cui pretium mittatur oportet:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

PRETIUM SOLVENDUM

- pro commentariis quotannis edendis:

— in Hispania constat	100 pesetas
— in America Hispanica	100 pesetas
— in Gallia	12 francis
— in Italia	1400 libellis
— in Germania	10 marcis
— in Anglia	20 solidis
— in reliquis civitatibus	3 dollaribus
- pro serie integra cujusque superioris anni:
125 pesetas constat in Hispania.
- pro quoque fasciculo qui separatim venit:
30 pesetas in Hispania constat.

M. JAN. — JUN.
—
A. MCMLXXV

226

ANN. XLV
—
FASC. I

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
—
SOCIIS CLARETIANIS BIS IN ANNO EDENDI

I N D E X

N. 226 — ANN. XLV — FASC. I

M. JAN. JUN. — A. MCMLXXV

R. W. GARSON, <i>De ingeni scintillulis inter ignes enitentibus</i> ...	3
R. SARMIENTO, C. M. F., <i>O tempora, o mores</i>	9
J. M. MIR, C. M. F., <i>Quid ex scriptoribus et commentariis superiorum aetatum inferre possimus ad conficiendum lexicon recentis latinitatis (II)</i>	11
J. MARINELLI, <i>De commentariis diurnis et televisifica capsella.</i>	25
B. C. POVSIC, <i>Commentarii in D. J. Juvenalis saturam III</i> ...	27
J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., <i>De licentiis poeticis apud Horatium</i>	45
J. M. MIR - M. MOLINA, <i>Bibliographia</i>	51

DE INGENI SCINTILLULIS INTER IGNES ENITENTIBUS

Lucubratio honorifica laude ornata in Certamine XXV Capitoline a. MCMLXXIV Romae habito.

Micante in medio ingenti flamma, majores quam pro hominum statura umbrae in extrema spelunca saliunt; undique tenebrae rubore mixtae; pedetemptim exsangues animae ad ignes succedunt si forte frigus suum vix tolerabile exturbent. Acri tamen dolore tentatiae mox refugiunt exili ejulatu. Procul hinc sedet improbissime catchinnans, alieno cruciatu elatus, distorto animi foeditate vultu auctor suppliciorum, solus harum tam tristium regionum dominus, quem ex cornibus et veste atra facile conicias ipsum esse Mephistophelem.

Jam autem accedit par laureatum, alter barbatus, imberbis alter; his vero, cum interiore spiritu alantur, flammarum calore non est opus, neque eodem modo quo alii peccaverunt; numquam enim ullius hominis vitam sed poemata tantum peremerunt vel fabulam illam Argonauticam; ecce Apollonius Rhodius et Valerius Flaccus, invisus quidem alter alteri, uterque tamen flagrans insigni camporum Elysiorum cupiditate. Nam quibus honoribus cumulati sint Homerus, Vergilius, Dante, eos existimant sibi quoque plenissime deberi, spretis scilicet haud merito binis Argonauticis.

Itaque postquam causae apud Mephistophelem agendae veniam petierunt, his verbis ille respondet: «Aegre profecto inveniatis arbitrum subtiliorem, elegantiae amantiores, animo denique ad misericordiam propensiore! Utercumque igitur divinorem afflatum suum comprobaverit, hunc sibi asciscant Elysii beneficio meo. Insto tamen vobis ut plenum gravitatis atque Aristophanis Ranarum omnino dissimile certamen praestetis. Nam meum saltem judicium neque trutina neque ampulla olearia ludificari licebit; sed quoniam maximis

distineor occupationibus, vel cruciatibus adhibendis vel alteram Margaretam perdendo, exigua modo pars utriusque poematis defendatur.»

Admissis certaminis propositi legibus, Valerius sic incipit prior: «O arbiter pererudite, palam asseverare ausim apud me primum immortales exstisset omnes personas quas hic versicator hebeti stilo adumbravisset; sed ne admodum te morer, ita me continebo ut de Hyla rapto tantummodo disceptem, comparando quo ingenio uterque nostrum in hac carminis parte eluxerit; tanta enim mentis caecitate hic laborat ut sibi persuadeat quamvis frigida et jejuna narratione lectorum animos allici posse dummodo versus hexametros fundat passimque apargat semina homerica. Quam probe tamen aequales clamitabant sufficere omnibus Homerum! Quam obstinate frenum Apollonius momordit! Hoc denique, quaeso, animum adverte, quam disjuncta sint quantumque hient quae de Hyla evomuit, quam ignarus sit animi motuum atque affectuum. Nam quem Alexandrinorum —credo quidem eos in primis fuisse cultos— non piguisset singula quaeque perlegere, quo pacto vel Hylas socius esset ascitus¹ vel pinus ad novum remum fingendum exquisita radicus ab Hercule esset evulsa², vel quo casu perituri essent Zetes et Calais?³ Aliquando etiam orat insulse ipse vates ut venia detur narratiunculae a re alienae⁴. Praeterea Polyphemum Glaucumque opinor huc perperam introductos; quos cur omiserim explanare jam pergo. Apud Apollonium arbitror post Hylian raptum Polyphemum et Herculem similioribus animi affectibus ictos, comparationum quoque vim ideo esse impeditam⁵; apud me contra solus maeget Hercules, solus et minutatim sentit se Hyla orbatum. Quanta enim dissimulatione (hanc forsitan voces ironiam) spei plenum feci Herculem ad litus redeuntem dum Hylian neququam quaerit! Quam commode ac praecise depinxi subtilissima quaeque discrimina turbidae exanimationis deficientiumque virium!⁶ Ut ad Glaucum transeam, vituperandus est Apollonius quod Telamonem induxit Iasoni, tamquam si de industria Herculem reliquisset ne gloria sua obscuraretur, convicium facientem⁷, deinde post Glauci portentum paenitentia abundantem⁸. Meum certe carmen non tam insipienter composui ut dignitas Iasonis ducis minueretur. Immo apud me in quibusvis angustiis hic for-

1. Ap. Arg. 1. 1212-19.
2. ibid. 1187-1206.
3. ibid. 1302-9.
4. ibid. 1220.
5. ibid. 1240-72.
6. Val. Arg. 3. 568-597.
7. Ap. Arg. 1. 1290-5.
8. ibid. 1329-35.

tem strenuum gravem se praebet, nec timidum inertem omni spe dejectum. Nonne igitur supervacaneum erat Iasonis excusandi causa ex profundo Glaucum erigere? Mihi quidem multo praestare visum est Argonautas inter se de Hercule quaerendo disputare, nec non praecipue glorior personis orationibusque Telamonis ac Meleagri contraria suadentium⁹. Quid enim clarius illis expressum? Quid majore his pondere? Malos autem ut magistros respuo, ita summo studio bonos accipio, nec te praetereat, Mephistopheles, quantum in hac carminis parte nostro Vergilio debeam; nam hujus modo Musam colo, observo, paene revereor; apud Apollonium quidem Hercules amat exiliter exilem Hylan; quorum amorem ego vivum et generosum et sanctum reddidi non solum vel alcedinis comparatione¹⁰ sed etiam, verbis subtiliter decerpatis, Aenean Iulum Creusam dulcissime in memoriam redigendo¹¹. Multum sane inter se distant in arte poetica qui curiosos se in decora imitatione praestant quique impudenter ac temere furantur. Telamonem quoque imbui Vergiliana quadam nobilitate ex eo quod jure jurando tam gravi nos cogit in recordationem earum sententiarum quibus Latinus religiosissime sponderat concordiam fore per Italiam¹². Et ex cervo etiam quem Hylas sectatur aliquid mali praesagiant lectores perspicaces, cum necesse sit eis succurrant Allecto illa nefanda aliasque cervus pernicious¹³; fortuito quidem pleraque accidere facit Apollonius. Meae saltem narrationi cum varietatem tum rationem aliquam tribui commiscendo cum hominum fortuna numen deorum; nempe ira Junonis ut in Aeneide sic in Hylae fato perquam pollet, nec non credo in tribus utriusque carminis orationibus esse operae pretium ideo pendere quae sint similia quaeque dissimilia ut emineat eorum quae effinxi novitas; prima enim oratione Juno aliam deam fallere conatur quo facilius homini inviso noceat¹⁴; secunda secum reputat quam sit difficile hunc devincere¹⁵; tertia conubio promisso fraudis socium vel sociam petit¹⁶. Majoris tamen sunt momenti quae discrepant, vel quod in secunda oratione Vergilius superbam Junonem ostendit, ego sibi diffidentem, vel quod in tertia apud me dissimulat, apud Vergilium se praebet ingenuam. Quae omnia et multa praeterea accuratius sint examinanda si quis percipere velit qua ratione lumina ingenii mei arte Vergiliana temperaverim. Sed interdum dormitas, Mephistopheles: ascendat igitur in rostra Apollonius!»

9. Val. Arg. 3. 637-89.

10. ibid. 4. 44-9.

11. cf. Aen. 2. 723-4 et Val. Arg. 3. 486; Aen. 2. 776-89 et Val. Arg. 4. 25-37.

12. cf. Aen. 12. 206-11 et Val. Arg. 3. 707-11.

13. cf. Aen. 7. 481-2 et Val. Arg. 3. 5445-54.

14. cf. Aen. 4. 93-104 et Val. Arg. 3. 492-505.

15. cf. Aen. 1. 37-49 et Val. Arg. 3. 510-20.

16. cf. Aen. 1. 65-75 et Val. Arg. 3. 535-44.

Jam pridem stomachatus ille «ad haec respondere» inquit «nihil convenit. Incumbe potius, Mephistopheles, tota mente in comparationes meas aut tibi liqueat me ne in Homero imitando quidem uberrima caruisse inventione. Primum respice, quaeso, ad Ulixem Demodoci carmine commotum et tam leni singultu flentem ut Alcinous, qui juxta sederet, solus ex convivis lacrimas cerneret; attamen Homerus comparat eum ululanti feminae, haerenti in marito exanimato, resistenti percutientibus eam hostibus atque in servitutem abstrahentibus¹⁷. Num congruunt inter se compressus dolor violentaque pugna? Nonne a me Medea angore excruciata, pudoris causa cunctans, in cubili jacens aptius comparatur novae conjugi in cubiculo mariti obitum maerenti, virginali verecundia fugienti ancillarum solacia, acerbo potius silentio lacrimas profundenti?¹⁸ Constat enim hanc et Medeam in multo similiore discriminē versari quam Ulixem viduamque ab hostibus violatam. Fumus autem Homerum lippum fecisse videtur; nam ille, cum Achilles undique strages edit, combustae urbis fumum confert¹⁹ tamquam si plus detrimenti ex fumo quam ex igni acciperetur. Non adeo scilicet fuit rationis expers Plautus cum haec scripsit: fumo comburi nihil potest, flamma potest²⁰. Quid denique est magis implicatum, magis tortuosum quam Achilles ut fumus fulgens?²¹ Nam hoc primo certe significari videtur, tardius tamen appareat re vera comparari Achillem ignibus qui post solis occasum modo conspici possint. Quanto aptius igitur et simplicius ego convolutas ingentis anguis squamas feci similes permultis atri turbinis orbibus qui ex lingnis fumosis sublime feruntur!²² Incommode contra Ajax Oilei Ajasque Telamonis proelia juxta stantes Homero praebent speciem duorum profuso sudore idem aratrum trahentium, immo omnibus viribus nitentium ut quam longissimum sulcum agro impriment²³. Quae aliquanto amplificata ad Argonautas impigre remigantes melius adhibui²⁴, neque me fallit praeterea aquas arare vel sulcare translationem esse a poetis haudquam alienam; postremo juvat me ex una Homeri comparatione effinxisse duas inter se conexas, quibus illustrentur cum dulce Medeae amoris initium tum summus ejus dolor. Nam a Homero confertur, cum ante moenia Trojae certamen stat diu anceps, femina honesta lanam in alteram librae lancem, pondera in alteram impo-

17. *Od.* 8. 521-34.

18. *Ap. Arg.* 3. 645-64.

19. *Il.* 21. 520-5.

20. *Curc.* 1. 1. 54.

21. *Il.* 18. 203-14.

22. *Ap. Arg.* 4. 139-44.

23. *Il.* 13. 701-8.

24. *Ap. Arg.* 2. 660-8.

nens si forte vel tenuissimum victum liberis suis quaerat²⁵. Mihi quidem primus Medeae exardescens amor similis esse videtur sarmenorum acervo quem ex favilla modo femina ante solis ortum inflammaverit ut modicum sibi lumen suppeditet lanam deducenti²⁶; postea tamen ingenti addita acerbitate Medea mortem jam ex Iasone verita nec pre dolore somnum capiens lacrimis se tradit tamquam vidua noctu coacta fusum versare et obdurescere paene ad gemitum liberorum²⁷. Quas comparationes si quis ambas simul animo colliget, exstabat eo vehementius intolerabilis Medeae aegritudo. Tanta igitur novitate ac varietate mihi videor locos Homericos exornavisse ut censem plane quaerendum num quid sit argutius navatum Argonauticis meis!»

Hic tandem Mephistopheles cum se semisommnum excitavisset «desinite jam», inquit «o poetae inexorabiles, mihi aures obtundere: nempe obtrectationi satis concessum est atque jactationi, nec tanto inanum verborum flumine effecistis ut me paeniteat hosce ignes auxisse eo volumine quod bina Argonautica contineret. Sed meo iudicio Valerius ideo carmen melius malorum carminum composuit quod post Apollonium Vergiliumque vivere ei contigit. Nam ex his mirum quantum sibi haud imperite assumpsit; alia igitur perpendenda arbitror; post Aeneida editam adeo moris erat heroica carmina pangere ut illorum scriptores plerisque vel pestes hominum esseviderentur, neque hoc Juvenalis inique querebatur. Itaque etsi Apollo-nio poema minus successit, ipsum tamen laudo quod summa constantia ac velut animi ferocitate eis adversatus qui carmina brevia et nimis blanda et saepe nugatoria fovebant, genus antiquum prorsusque a temporibus suis absonum repetivit atque praeclarar enius est sollertia ut verba obsoleta renovaret. Sed quod ad ipsum certamen pertinet, tam callide Valerius opus suum nuper defendit ejusque vitia tam opportune tacuit ut miratus sim (multa enim intellegit Mephistopheles etiam cum dormitare videtur) eum non significavisse a se id emendatum esse quod apud Apollonium esset maxime ridendum, nimirum dico quod ille plane inscios Argonautas fecerat Herculem in Mysia relinquere²⁸. Nec contra mihi persuasit Apollonius se plerumque Homero accurati similitudines percepisse: absurde enim comparantur apibus in laeto prato volitanti-bus lamentantes Lemniae²⁹, vel frementi leoni Iason ille inertissi-mus³⁰. Ne tamen diutius vos suspensos teneam, pro infinita miseri-

25. *Il.* 12. 432-6.

26. *Ap. Arg.* 3. 286-98.

27. *ibid.* 4. 1060-7.

28. *ibid.* 1. 1283.

29. *ibid.* 879-85.

30. *ibid.* 4. 1337-43.

cordia mea utrumque vestrum ea condicione in Elysium mitto ut Apollonius sibi Homerum, Valerius sibi Vergilium doctorem asciscat. Quae si feceritis, forsitan imbuamini aliquando idque sero et arte poetica et jucunda modestia. Sed satis de carminibus jam dictum; multa restant quae usitato more agam; discedite igitur ut alio quoque loco benignitas mea pernoscatur.»

Prof. RONALDUS W. GARSON
Dept. of Classics
The University of Adelaide
Box 498, G. P. O., ADELAIDE
SOUTH AUSTRALIA

O TEMPORA, O MORES!

Vitae me piget extimae!
Fractis cur hominum moribus, heu pudor!
Moerens fata recenseas
Quae saeculis tulerunt deterioribus?
Legum jam pia sanctitas
Pessundat penitus, juris et aequitas.
Ausis saeva procacitas
Terram contaminat putidiusculis;
Artus belua septiceps
Turpati tenuat flumine sanguinis;
Morbo robora marcido
Humani pariter dimidian mares,
Mentis sensibus impares
Languescunt vitio quod sitis inficit.
Luxus nudaque vestium
Probrosis mulier seligit usibus.
Quid quot foenore divites
Lenones properant nectere dedecus
Actae carmine feminae?
Quae mollis studiis semper inanibus
Solvit frena licentiae!
Incestans animos unda libidinis
Exin subsequitur; joci
Lascivi ebrietas letifer ingruit:
Foedi somnia pectoris!
Gens lymphata furit crimine noxio
Larvae sordida ritibus
Insanitque modis dedita mollibus
Pulla luxuria domo,
Demens! Profluvio rapta pecuniae
Quaesiti male foenoris
Ambit divitias diraque funera,
Inmanis vetitum necis!
Nulla est progenies civica postmodum
Inmunis sceleris; decus
Non ullum thalamis; foedere pessimo
Verbis quod pietas fovet,
Nascentis perimunt jura propaginis!
Regnum quod manet integrum
Fautoris placitis, saepe Malignitas

Summis vertere nisibus
 Frustra persequitur, quatenus inferi
 Lapsat victa potentia:
 Petram nulla valet frangere vis Satan!
 Emptis promeritus cibis
 Quivis tunc opifex viribus integer,
 Natorum viciis anxius,
 Ardebat properus vivere copia,
 Plexis nunc male feriis
 Viroso recubat futilis otio.
 Curatis tumidus comis,
 Legum consilio posthabito, puer
 Quisquis plus satis improbus
 Nec paret monitis et sibi consipit;
 Compos usque superbia
 Nares femineis mulcet oloribus;
 Pavonis petulans modo
 Braccis pelliciens versicoloribus
 Pascit lumine ceteros.
 Forsan interea, quos Deus arguit,
 Temmunt munera praesules
 Maluntque illecebras obdere subditi,
 Fraudes ferre silentio
 Queis se dedecorat casta Sodalitas.
 Quis jam turpia dimovet
 Profanosque modos et choreas leves?
 Et Sanctum canibus datum
 Pollutis, miserum! novimus aedibus!
 Recti remur imaginem,
 Excussam penitus justitiae fidem!
 Et pax et pietas simul
 Semotis latitant sedibus incolae;
 Vinctos unica liberans
 Secessum repetit candida Veritas!
 Jesu, spe modo labimur!
 Tandem jam redeas, mi Bone, deprecor!
 Nutat spes animis, veni!
 Omnis corde secus denique concidet!

QUID EX SCRIPTORIBUS ET COMMENTARIIS SUPERIORUM AETATUM INFERRE POSSIMUS AD CONFICIENDUM LEXICON RECENTIS LATINITATIS

(II)

In superiore fasciculo *Palaestrae Latinae* (n. 225) normas deduximus quas scriptores, in quibusdam commentariis exeunte saeculo XIX et hoc XX ineunte vulgatis, sequi videntur cum novas ac necessarias voces in linguam latinam inducere coguntur.

Multos scriptorum locos recensuimus, quos nunc ipsa eorum verba referentes distincte describimus: quo quid eorum auctoritas singillatim valeat, perspicietur planius.

Non omnia vocabula, eo quod hic exhibentur, probanda sunt quin prius ad trutinam revocentur et altius recognoscantur; in spe tamen sumus fore ut quam plurima eorum in recentis latinitatis lexicon inscribantur. Ea tamen documento nobis sunt et exemplo quo admonemur viam quam scriptores hujus aetatis insecuri sunt, non lexicon componentes sed actu de rebus singulis, minutis, novis scribentes.

Haec via, quae exeunte superiore saeculo aperta erat, ex segnitia aut incuria aut oblivione posteriorum scriptorum oblitterata est aut neglecta; quod si hi in eadem constitissent via, tot dubia, inquisiciones, disputationes —quae in commentariis deinceps usque ad nostra tempora exorta sunt quibusque nova verba latina inquirebantur— supervacua saepe prorsus fuissent. Hos igitur scriptores oblivioni datos excitemus atque usu et studio excutiamus, in quibus frequenter puri sermonis —dixeris saltem non inelegantis— venam reperimus. Ecquis unquam erroribus vacabit? Numquid non ipsi multa nos docuerunt?

Mens autem nostra, primum, fuerat schedas tantum exscribere et praecipuos referre locos ubi nova inveniuntur nomina: ea praesertim quae in lexicis non inveniuntur et quae initio saltem maxime technica sunt. Deinde adnotiunculas subjungere quibusdam vocibus peropportunum duximus et, cum iis quae alii nosque fecimus et scripsimus, conferre: quod propositum in his paginis perficere conati sumus.

Pauca adnotes velim: commentarii saepe his notis contrahuntur seu breviantur:

Vox Urbis: *V.* *U.:* sequitur annus (naturalis), aliquando numerus (n.) libelli seu fasciculi, pagina, columna (c.), interdum paragaphus (:numerus extremus, si adest).

Alma Roma: *Alma R.:*

Societas Latina: *Soc. Lat.:*

Palaestra Latina: *Pal. Lat.:* hi commentarii memorantur seu citantur ex communiore ratione, id est: annus ex ordine quo commentarius prodiit, deinde annus (naturalis), pagina.

Restant pauca verba quae numeris 116-118 continentur —et sunt *aëroplanum*, *ferrivia*, *tractus* —*tramen*, *currus automobilis*— quae, cum sint praecipua et usu ac disputationibus exagitata, in alium fasciculum describenda ac perpendenda differimus.

1. **INDEX VENTI:** 'veleta - banderuola'...

2. **ANEMOMETRUM:** 'anemómetro - anemometro'...

3. **RECEPTOR FULMINUM:** 'pararrayos - parafulmine':

«Sustinent *indices venti* duos, duo *anemometra* et *praealtum apicem fulminum receptorem*» *V. U.* 1903, p. 178, col. 1.^a, 3.

— cfr.: *index ventorum: Nova v. lat.*, VI, 4, 22, p. 75; *XXIII* 7, 46 p. 232; *fulminar, -aris: Ibid.*, p. 75, n. 21; *XXIII* 7, 45, p. 232.

4. **INANE - VACUUM:** 'vacío - vuoto':

«hoc aethereum *inane*, plenum erat pulvisculo exiguo» *V. U.*, 1902, 37, c. 1.^a 3;

«ubi *vacuum* factum fuit» *V. U.*, 1899, p. 45.

5. **AER COMPRESSUS:** 'aire comprimido - aria compressa'...

6. **PILA CYPRIA:** 'pila de cobre - pila di rame':

«*Compresso aëre in cupriis pilis aëre reficiebatur ad respirandum*» *V. U.*, 1902, 19, col. 2.^a, & 2.

7. **VIS EQUI MECHANICI:** 'caballo de fuerza - cavallo vapore, c. dinamico':

«*Machinae qua aër comprimitur centum et viginti equorum mechanicorum vis est*» *V. U.*, 1899, p. 45.

— cfr.: *vis equina: Scriptor Latinus*, 1910, p. 34, ult. lin.; *G. LURZ, Per lo studio e l'uso del latino*, IV, 2, 83; *PAL. LAT.*, 16 (1946), 164; *ibidem*, p. 165-66, proposita explicatione, *vim equinam et equum vaporalem* induci posse censui.

8. **RAREFACTIO:** 'rarefacción - rarefazione':

«... notum sit virtutem ducendi cum *rarefactione* crescere» *V. U.*, 1899, n. 6, p. 45.

9. EXPANSIO: 'expansión - espansione':
«adducentem ad locum *expansionis*» V. U., 1899, n. 6, p. 45.
10. REFRIGERATIO: 'refrigeración - refrigerazione':
«Hac... *refrigeratione* aëris V. U., 1899, n. 6, 45.
11. AER REFRIGERATUS: 'aire refrigerado - aria refrigerata':
«*aërem refrigeratum*, per tubum transire cogit» V. U., 1899, n. 6,
p. 45.
12. STATUS VAPORIS: 'estado de vapor - stato di vapore':
«ad vaporis statum redit» V. U., 1899, n. 6, p. 45;
«cum huic aëri liquido... *evaporandi* facultas sit» *Ibidem*.
13. GRADUS: 'grado (de calor) - grado':
«Calor... *gradus*... descendit» V. U., 1899, n. 6, p. 45.
14. OXYGENUM: 'oxígeno - ossigeno':
«... *oxygeni*... quantitatem continet» V. U., 1899, n. 6, p. 45.
— Hanc scriptionem —*oxygenum*— retineamus; quamquam non
desunt scriptores (in quibus Bacci, Tondini-Mariucci, Badellino,
Volckringer, Zlotnickiego [*Lexicum medicum*]), qui adhibent aut
proponunt *oxygenium* —addita *i*—.
15. SPECULATIO: 'dato, observación - dato, osservazione' ...
16. OBSERVATIO: 'observación - osservazione'...
«Peractae *speculationes* transmittuntur» V. U., 1903, 178, c. 1.^a, 3.
«hujus memor *observationis*» V. U., 1899, p. 45.
17. CHARTAE REI METEOREOLOGICAE: 'parte (comunicado) metereo-
lógico - comunicato metereológico':
«... eaeque (*speculationes*) evulgantur in *charta rei metereologicae*» V. U., 1903, 178, c. 1.^a, 3.
... in *charta rei metereologicae*, quae de tempestate totius Argentinae, a freto Magellanico ad usque Paraguariae oram et Flumen Ianuarium..., quotidie Bonis Auris editur» V. U., 1903, 178, c. 1.^a, 3.
18. TURRIS CAMPANARIA: 'campanario - campanile'...
19. TURRIS SPECULATORIA: 'observatorio - osservatorio':
«... in insulam domorum fere integrum complectitur et *turribus* duabus, altera *campanaria*, altera *speculatoria*, sublimis consurgit» V. U., 1903, 178, c. 1.^a, 2.
— cfr. *turris campanaria*, *campanarium*: MIR, *Nova et vetera*, p. 11; etiam *Nova v. lat.* XXIII, 7, 44, p. 232.
20. SPATIUM SIDERALE: 'espacio sideral - spazio siderale':
«circumagetur per *sideralia spatia*» V. U., 1902, 37, c. 2.^a, 1.

21. METEORA: 'meteoro - meteora':
 «volvebatur ad modum illius *meteōrae*» V. U., 1899, n. 1, in operc.
22. SATELLES PLANETARIUS: 'satélite planetario - satellite planetario':
 «*planetarii satellites*» V. U., 1899, n. 3, p. 23.
23. CALEFACTIO: 'calefacción - riscaldamento':
 «De *calefactione* hodierna» (saepius...), LURZ, Soc. Lat., 10 (1942) 54.
24. CARBONIZATIO - CONVERSIO CARBONICA: 'carbonización - carbonizzazione'...
25. ANTHRACITES: 'antracita - antracite':
 «*carbonizationis* summum gradum adepta species appellari solet *anthracites*» LURZ, Soc. Lat., 10 (1942) 54.
 «... si *conversio carbonica* minime processit» *Ibid.*
26. CARBO DESTILLATUS: 'cok, coque - coke':
 «Carbonem destitutum substantiis fluidis gasosisque Angli denominaverunt «coke», quod nomen una cum re a plurimis nationibus acceptatum est. Latine nonne *carbo destillatus* acceptabilis denominatio haberi potest?» LURZ, Soc. Lat., 10 (1942) 54.
27. LITHANTHRAX: 'Carbón de piedra, hulla - carbone fossile, c. minerale':
 «Pro *lithranthrace*... varia nomina in usu sunt velut apud Francogallos «huille, charbon minérale, charbon de terre», apud Hispanos...» LURZ, Soc. Lat., 10 (1942) 54.
28. CARBO MINERALIS - LITHANTHRAX: 'carbón de piedra - carbone minerale':
 «Quibus ex variis denominationibus idoneae, quae recipiantur in sermonem latinum, mihi videntur carbo mineralis = lithanthrax» *Ibid.*
29. CARBO VEGETALIS: 'lignito, carbón fósil - lignite':
 «Altera quoque species media, in qua carbonizatio minus quam in linthantrace, sed magis quam in turfa processit, varia nomina exhibet... *carbo vegetalis*. *Carbo fossilis*, *geanthrax* vix probari possunt, quod ab aliis alio significatu adhibentur». LURZ, Soc. Lat., 10 (1942) 54.
30. CARBONEUM - SUBSTANTIA CARBONICA PURA: 'carbón puro, carbono - carbonio':
Pura substantia carbonica 'carboneum' nuncupatur. LURZ, *Ibid.*
31. TURBA, TURFA: 'turba - torba':
 «... *turba* vel *turfa* nomen usurpatur, si conversio carbonica mi-

nime processit, ut singulae plantae adhuc dignosci possint. Duange: «*Turba*, niger caespes, qui e terra palustri et bituminosa eruitur et vicem carbonis praebet». LURZ, *Ibid.*

32. LATER CARBONICUS: 'aglomerado, ladrillo combustible':
 «*Later carbonicus* propono pro voce francogallica 'briquette'». LURZ, *Ibid.*

33. FORNAX REFLECTOR: 'estufa reflector - stufa riflettore':
 «De variis modis apparatusque velut *fornax reflector*... plura disserere in animo non est». LURZ, *Ibid.*

34. CALEFACTIO ELECTRICA: 'calefacción eléctrica - riscaldamento elettrico'...
 35. CALEFACTIO GASALIS: 'calefacción de gas - riscaldamento col gas':

«Nec de *calefactione electrica* amplius disseram. — Mentionem feci *calefactionis gasalis*». LURZ, *Soc. Lat.* 10 (1942) 55,3.

— Quae omnia convenient cum iis quae in *Novis verbis latinis* scripsi: cfr. II 6,45; VII 3,8; XIX 5 22. Commentariolum G. Lurz aut me fugerat, aut, quod certius, prius non legeram.

36. CALORIFER: 'calentador - calorifero [scaldapiedi]':
 «(eo) quod instrumentum *caloriferum* in ipso loco calefaciendo statuitur». LURZ, *Soc. Lat.*, 10 (1942) 55,3.
 — In *Nobis verbis latinis calorifer* proposui et adhibui «substantivum», cfr. VII 5,25, p. 86.

37. GASUM: 'gas - gas':
 ...«Nihilo minus nonne «aërium» praeferendum est neologismo *gasum*? Huic quaestioni respondere haud facile mihi videtur. Diu cunctatus *gasum* proponere animum induxi, primum quod haec nova vox toto fere orbe terrarum jam in usu est et sine dubio intellegitur, tum quod admittit varias derivationes compositionesque velut *gasosus*, *gasalis*, *gasificare*..., *gosolinum*, *gasometrum*, *gasogenerator*, *gasochemia*, *gasomotor* sive *motor gasalis*, etc. Quae pertinent ad tutamente contra *gasum*, *antigasalia* nominabuntur, velut *larva antigasalis* sive (capitis) *indumentum antigasale* (Fr. 'le masque à gaz', Germ. 'Gasmaske', Hisp. 'mascarilla de gas', It. 'la maschera di gas'; vox *antiaérius* autem pertinet ad *tutamenta contra volatores* infestos velut *classicum antiaérium* (Fr. 'alarme aérienne', Germ. 'Fliegeralarm', Hisp. 'alarma aérea', It. 'allarme antiaereo')). LURZ, *Soc. Lat.*, 10 (1942) 55,1.

— Cfr. idem Lurz, *Soc. Lat.* 18 (1952) 8, et AVENARIUS, *Pal. Lat.*, 18 (1948) 481,2: «Puto ego ipsum Ciceronem gratias nobis acturum esse, si a nobis acceperit circumfusum huic terrae aërea *atmosphaeram* appellari, et hanc esse *gaseam permixtionem*; magna illa vasa

et rotunda tectis urbis modo altius modo humilius exstantia *gasaria* esse et educto e *carbone fossili gasi* turgescere, defluente per tubos ad *gaseos furnos* et in *reticula lampadaria gasi* subsidere». — Ubi Avenarius, ut patet, *gas, gasis* adhibet; cfr. etiam *Pal. Lat.*, 27 (1957) 30.

38. GASORADIATOR: 'radiador de gas - radiatore a gas':

«De variis modis apparatusque velut... 'gasoradiator'»... plura dicere in animo non est». LURZ, *Soc. Lat.*, 10 (1942) 55,2.

— Cfr. *Nova verba lat.*, VII 7,39, p. 88: ubi proponuntur *tubus radiatorius, ratiatorium (radiator)*.

39. CONVERGENTIA LUCIS: 'convergencia de la luz - convergenza de la luce': *V. U.*, 1899, 70, c. 3.^a

40. ACTIO LUCIS: 'acción de la luz - azione delle luce':

«Exilis tenuisque *actio lucis*» *V. U.*, 1899, 70, c. 3.^a

41. ONDULATIONES (?) HERTIANAE: 'ondas hertzianas - onde hertziane':

«Spatium in quo *Hertiana ondulationes propagantur*» *V. U.*, 1899, n. 6, p. 45.

— Tamen aptius dicendum: *undae Hertiana*; '*ondulationes*' nusquam legimus; *undulatus* apud Varronem et Plinium; *undulatio* apud posteriores (a. 1620), cfr. LATHAM, *Revised Medieval Latin Word-List...*, London 1965, s. v. *unda*; ceterum: «*Unda autem electrica (onda eléctrica o hertziana) est motus sive vibratio aetheris...*» SANSEGUNDO, *Pal Lat.*, 24 (1954) 212.

42. LUCIS POTENTIA: 'potencia de la luz - potenza della luce':

«vehementiori *lucis potentia*» *V. U.*, 1899, n. 3, p. 23.

43. IMPONDERABILIS: 'imponderable - imponderabile':

«... inter *imponderabilia lucem reponebant*» *V. U.*, 1902, 87, c. 3.^a, 2.

44. RADIATIONES ULTRA-VIOLACEAE: '(radiaciones) rayos ultravioletas - raggi ultravioletti':

«possident radiationes *ultra-violaceae*» *V. U.*, 1899, 78, c. 2.^a

45. RETINA: 'retina - retina':

«efficit ut imagenes binis oculorum *retinis* optime respondeant» *V. U.*, 1902, oper. inter., c. 1.^a, 2.

46. ELECTRICITAS - ELECTRIS, - IDIS, ELECTRICIDES (?): 'electricidad - elettricità':

«De viribus *electricitatis*», cfr. Aloysi GALVANI *De ossibus lectio-nes quattuor*, in Aedibus Compositori, Bononiae 1966, p. 180;

«... aëris partibus..., bene *electricitatem ducentibus, utitur*» *V. U.*, 1899, n. 6, p. 45;

... «*electride* movente usus» V. U., 1902, 19, c. 3.^a, 2;

«... cognitum est lucem, *electridem* esse quoddam fluidi genus; in quo omnia moventur, sicuti pisces, microbia inter undarum atmos versantur... sic si quis oriatur motus in *electridis*, in lucis fluido» V. U., 1903, 35, c. 2.^a

«non mediocre auxilium... praebet *electrides* (?)», quotidianos in usus inducta» V. U., 1899, 70, c. 3.^a

«viam urbis principem multicoloribus *electridis* lampadibus in arcus dispositis collustrari jussit» V. U., 6 (1906) 178, c. c. 3.^a, 1.

57.* ELECTRICUS: 'eléctrico - elettrico':

«faciliorem reddendi transitum *electricis* scintillis inter duos traductores» V. U., 1899, 78, c. 2.^a

58. FLUXUS ELECTRICUS, RIVUS ELECTRICUS: 'corriente eléctrica - corrente elettrica':

«*fluxus electricus*... intermittitur» V. U., 1902, operc. int., c. 3.^a, 2.

«... filis quibusdam metallicis per quae *electricus* agitur *rivus*» V. U., 1903, 178, c. 1.^a, 3.

«... ut *electrico rivulo*... obsidet juxta lucis vim» V. U., 1902, 63, c. 1.^a, 2.

59. COLLUSTRATIO ELECTRICA: 'iluminación eléctrica - illuminazione elettrica':

«*electrica collustratio* in via... renovata est» V. U., 1903, 179, c. 1.^a, 1.

60. LAMPAS ELECTRICA: 'lámpara eléctrica - lampada elettrica':

«circa *electricas lampades*» V. U., 1899, I, operc. int., p. 1.^a

61. CONDUCTOR: 'conductor - conduttore':

«ad vim electricam procul sine metallico ullo *conductore* mittendum» V. U., 1899, p. 45; «sine metallicis *conductoribus*» *Ibid.*

62. PHOTOELECTRICUM (SYSTEMA): 'fotoeléctrico - fotoelettrico':

«photo-electricum systema» V. U., 1899, n. 10, p. 78, c. 2.^a

63. PILA: 'pila - pila':

«... Alexandro Voltae in primi saeculi exitu ab inventa *pila* honores decernunt» V. U., 1899, n. 4, p. 30.

64. ELECTROMAGNES: 'electroimán - elettrocalamita': *Ibid.*, n. 9, p. 70, c. 3.^a

UNDAE ELECTROMAGNETICAE: 'ondas electromagnéticas - onde elettromagnetiche':

* Error, ut patet, illapsus est: desunt decem numeri: a 47 ad 56; sed cum citationes, in fasciculo superiore *Palaestrae Latinae* (n. 225) factae, huic numerandi rationi convenient, manet hic error, ne confusio oriatur.

«Marconius... undas electro-magneticas adeptus est intra tria chilometrorum mil (l)ia» *V. U.*, 1902, n. 11, 87, c. 3.^a, 3.

«tum adhibitis lampadibus, tum apparatu electro-magnetico» *V. U.*, 1899, n. 9, 71, c. 1.^a

65. ELECTROTECHNICUS: 'electrotécnico - elettrotecnico':
«societati electro-technicae» *V. U.*, 1899, n. 9, p. 71, c. 1.^a

66. MAGNETICUS: 'magnético - magnetico':

«Esse in sanguine quid magneticum docebat... / ... quamvis magneticae virtuti sit prorsus rebellis..., magnetismo libentissime inserviunt» *V. U.*, 1902, n. 11, 88, c. 1.^a, 2.

67. ARCUS VOLTAICUS: 'arco voltaico - arco voltaico'...

68. CONDENSATIO: 'condensación - condensazione'...

69. TRANSMISSIO: 'transmisión - trasmissione'...

70. RECEPTOR: 'receptor' - ricettore': *V. U.*, 1899, n. 10, 78, c. 3.^a

71. LAMPAS INCANDENS: 'lámpara incandescente - lampada incandescente': *V. U.*, 1899, n. 9, 70, c. 3.^a

72. LAMPAS ARCUATA: 'lámpara de arco voltaico - lampada d'arco voltaico':

«*Lampas arcuata* meo judicio optima vox est» *LIS, Soc. Lat.*, 5 (1937) 33.

— Tamen, ut supra n. 67 *arcus voltaicus* propositus est, ita nunc *lampas arcus voltaici* aptior videtur.

73. OBSERVATIO: 'observación - osservazione' [alio tamen sensu ac n. 16]...

74. STEREOSCOPIUM: 'estereoscopio - stereoscopio':

«*Observationi* eo modo subjecta communi *stereoscopio* utimur» *V. U.*, 1902, n. 2, operc. inter., c. 1.^a, 2.

«Altero [machinamento] *observationis* punctum deligitur» *V. U.*, 1902, 17, 1.^a, 2.

75. RADII X: 'rayos X - raggi X':

«... in ea torrenda [pelle] *radios X* egisse affirmat» *V. U.*, 1899, n. 3, p. 23.

«Maxime *X radiationibus* ... studuerunt» *V. U.*, 1899, n. 6, p. 45.

76. OBICERE LUCI: 'exponer a la luz - esporre alla luce':

«*Luci objecta corpora*» *V. U.*, 1899, n. 9, p. 70, c. 3.^a

77. EXPOSITIO: 'exposición - esposizione':

«*expositionis* tempore satis protracto» [agitur de photographia]

V. U. 1899, n. 9, p. 70, c. 3.^a

78. IMAGO: 'imagen - immagine':
 «optimam *imaginem* adeptus est» V. U., 1899, n. 9, 70, c. 3.^a
 «nitidas... exceptit *imagines*» V. U., *Ibid.*
 «photographicam sonus *imaginem* accipit» V. U., 1902, n. 8,
 63, c. 1.^a
79. IMAGO POSITIVA, I. NEGATIVA: 'imagen positiva, i. negativa - immagine positiva, i. negativa':
80. TRANSLUCENS: 'trasparente - trasparente':
81. NIGRO COLORE: 'en negro - in nero':
 «... *positivas* contra *imagenes* tres proferunt» V. U., 1902, n. 12,
 p. 92, c. 1.^a, 3.
 «*imagenes negativas* faciebant... Modo imprimebant *imagenes* in chartulis *positivis*, iisque *translucentibus*» V. U., 1902, n. 12, 91,, c. 3.^a, 6.
 «... id faciet... cum chartulas illas tres *translucentes nigro* tantum *colore* impresserit» V. U., 1902, 92, c. 1.^a, 4.
 «*negativae photographicae lamnae imponebat*» V. U., 1899, n. 9,
 p. 70, c. 3.^a
82. LAM(I)NA SENTIENS LUCEM, L. SENTIT LUCEM: 'lámina, película, cinta sensible a la luz - lamina, pellicola, nastro sensibile alla luce':
 «*Lamna vel exiguum sentiens lucem...*» *Ibid.*
 «*photographicae lamnae sentiant...*» *Ibid.*
83. PHOTOGRAPHIA: 'fotografía - fotografia':
 «Quid sit, valeatque *photographia...* nunc maxime claret» V. U., 2 (1899) 70, c. 2.^a, 11.
 «... qui Vaticanae speculae praeest, *photographia usus*» V. U., 1899, n. 3, 22.
 — Cfr. *Nova verba latina*, VI 4, 30, p. 76. Scrupulum tandem ab adhibenda *photographia* abiciamus; neque ad illas Baccianas et Tondinianas circumlocutiones redeamus (cfr. eorum lexica).
84. DISSOLVERE: 'disolver - dissolvere'...
85. DISSOLUTIO: 'disolución - dissoluzione' ...
86. OBJECTUM: 'objeto - oggetto'...
87. MACHINA PHOTOGRAPHICA: 'máquina fotográfica - macchina fotografica'...
88. IMAGINEM FIDELEM OBTINERE: 'obtener una imagen fiel - ottinere una immagine fedele':
 «Colores *dissolvi* oportere..., *dissolutio* immagine fedele': hujusmodi... fit, quae quasi obstacula, inter *objectum* quod redi debeat atque *photographicam machinam* interponatur. — ... quae in ipso *objecto* sit».
 «... numquam *fidelem* undique *objecti imaginem obtinebit*» V. U., 1902, n. 12, 92, c. 1.^a, 3-6.

89. CATALYTICUS: 'catalítico - catalitico'...
90. PLATINUM: 'platino - platino'...
91. COLOIDALIS: 'coloidal - coloidale'...
92. INORGANICUS: 'inorgánico - inorganico'...
93. BIOXYDUM HYDROGENI: 'bióxido de hidrógeno - biossido d'idrogeno'...
94. ACIDUS PRUSSICUS: 'ácido prúsico (cianhídrico) - acido prussico'...
95. HYDROGENUM SULPHURATUM: 'hidrógeno - sulfúrico - idrogeno solforico'...
96. SUBLIMATUM CORRODENS: 'sublimado corrosivo - sublimato corrosivo':

«Mirum quid suspiciunt inter vim *catalicticam* (?) = *catalyticam*?) *platini colloidalis* et fermentorum ex *inorganicis*... Ita *biossimum* (?) = *bioxydum*) *hydrogenii* coram *platino colloidalis* virtutem sentit acidi prussici, *hydrogeni sulphurati*, et *sublimati corrodenitis*» V. U., 1902, 88, c. 1.^a, 1.

— Ex rei explicatione agi certo videtur de *catalysi* seu *vi catalytica*. De scriptione vocis *hydrogenum* conferatur quae supra diximus de *oxygeno*, n. 14. — *Sublimatum* est vox a pharmacopolis adhibita, cfr. VOLCKLINGER, *Lexicum latinum-gallicum ad pharmacopeas redigendas*, 1958.

97. OBJECTIVUM: 'objetivo - oggettivo':

«... ad rem commune *objetivum* excipiendis imaginibus adhibens» V. U. 1899, n. 9, p. 70, c. 3.^a

«spatium inter duos crystallos, ocularem et *objetivum*, sexaginta metrorum constituerunt». «Duos habet crystallos *objetivos*...» «Speculum exterius, quod coram *objectivo* reflexum prorrigit» V. U., 3 (1900) 181, c. 3.^a

«In foco lentis *objectivae*» CHR. WOLFFIUS, *Compendium elementorum Matheseos universae...*, Venetiis 1782, t. II, p. 47, n. 187.

— Si haec legisset clarus ille vir Jos. Fornari —olim *Almae Romae* moderator— forsitan animo non adeo infesto aut saltem stomachato in hanc vocem *objectivum*, a P. Ild. González C. M. F. propositam (cfr. *Pal. Lat.*, 1 (1930) 27-28), impetum fecisset. Neque Chr. Wolffium neque alios scriptores posteriores legerat: in quibus sunt quidem qui adhibent adjективum *objectivus*, sed alii ab ipso substantivo non abhorrent eoque (*objectivo*) *libere* utuntur. Vide etiam *Nova verba latina*, p. 128, n. 46.

98. PHOTOMETRUM: 'fotómetro - fotometro': *Soc. Lat.*, 9 (1941) 71.

99. PROJECTOR: 'proyector - proiettore':

«in... *projectore* consistit» V. U., 1899, p. 78, c. 3.^a

— Avenarius (*Pal. Lat.*, 31 (1961) 34 et 36 proposuit *projecto-*

rium. — De his nominibus quae in —*or* desinunt, altius investigandum est: utrum usurpari possint ad res et instrumenta designanda, necne. Quam quaestionem aliquatenus attingam in primo fasciculo a. 1975 *Latinitatis Vaticanae*.

100. AGENS: 'agente - agente':

«data proportione *agentium*» *V. U.*, 1903, 35, c. 2.^a, 1.

«a pulvere calcarii... lapidis cum quibusdam chemicis *agentibus* commixto» *Alma Roma*, 9 (1922) 142, c. 1.^a, 4.

101. PHOTOCROMIA: 'fotocromía - fotocromia':

ad *photochromiam* indirectam quam dicimus... incubuerint» *V. U.*, 1902, n. 12, 91, c. 3.^a, 4.

«*photochromiae* ab... expresae» / «*photochromice* expresserunt» *V. U.*, 1902, n. 1. p. 4, c. 2.^a, 4.

102. PHOSPHORESCENTIA: 'fosforescencia - fosforescenza': *V. U.*, 1899, n. 9, 70, c. 3.^a

— Quam vocem et sequentem C. Bacci in medium proferre ausus non est.

103. PHOSPHORESCERE: 'fosforecer - fosforescere': *V. U.*, *Ibid.*

104. PULVIS IGNITUS: 'pólvora - polvere':

«Nobel, Norvegus ille vir celeberrimus, *ignitae pulveris...* faber primus»; «... vimque *ignitae pulveris* lignis apponens» *V. U.*, 1902, n. 9, c. 1.^a, 1; n. 3, p. 19, c. 2.^a, 2.

«... *ignitae pulveris* opificium...» — «... ex *ignitae pulveris* opificio» *V. U.*, 1899, n. 8, operc. int. p. 1.^a, c. 2.^a, 2.

«fodinas *nitrata* *pulvere*... subruerunt» *V. U.*, 1899, n. 9, operc. int. p. 1.^a, c. 1.^a

— Chr. Wolffius (*Compendium...*, t. II, p. 138, 3-4; 150, 51...) adhibet *pulverem pyrium*, *pulverem nitratum*: «*pyrio* *pulvere* tota pyrotechnia originem debet»; «*pulverem pyrium* conficere».

«Instrumentum fartorum... est quo debita *pulveris pyrii* mensura in animam tormenti immittitur» IDEM, t. II, p. 145, n. 24.

«Pondus *pulveris pyrii*, quo tormenta majora onerantur» *Ibid.*, p. 145, 25.

Wolffius *pulverem* semper genere effert masculino; alii autem etiam feminino, ut supra; de quo tamen Forcellinius: «m. saepius quam f.»

105. TORMENTUM, TORMENTUM BELLICUM, PYROBALLISTA: 'cañón - cannone':

«*Tomenta* sunt machinae bellicae, e quibus globi ferrei, plumbei et lapidei vi *pulveris pyrii* in loca axi tormenti in directum sita emittuntur» WOLFFIUS, *Ibid.*, p. 140, 10.

«dato astronomica e specula indicio, illic *pyroballista tonat*» V. U., 1902, n. 3, p. 21, c. 2.^a, 3.

«*tormento bellico...* disrupto» V. U., 15 (1912) 111, c. 1.^a, 8.
«*ad ballistaria tormenta emenda*» V. U., 7 (1904) 48, c. 3.^a, 16.

106. MANUBALLISTA, FISTULA IGNIVOMA, SCLOPETUM, SCLOPUS, SCLOPEDRUM: 'escopeta, fusil - schioppio, schioppetto, fucile':

«... Germanos *manuballistas* octoginta millium numero atque tormenta bellica... emisse» V. U., 1902, n. 9, p. 72, c. 3.^a, 2.

«Ibi [apud Ducangium] videmus *ballistam* illam *manualem*, sive *manuballistam*, ex saeculo XIV, recens inventam *sclopetum* esse vocatum, quod italico *schioppetto* congruit et omnino recipi potest» Soc. Lat., 7 (1939) 46,2.

«... quo *fistula ignivoma* deflectitur» HOLZER, Soc. Lat., 8 (1940) 28,5.

«... de manu ponat *ignivomam fistulam*» Ibid., p. 29,3.

«*sclopi* ictus utramque tibiam fregerat» V. U., 1902, n. 6, operc. int. 2.^a, c. 1.^a, 2.

«*sclopedri* ictu vulneratum» V. U., 1899, n. 8, operc. int. 1.^a, c. 1.^a

«accepimus, Vincentium... quum... jaculandi exercitio vacantibus adsisteret, repente *sclopedri* ictu minus prudenter directo, occisum» V. U., 1899, n. 6, operc. int. p. 1.^a

«Justa *sclopetum manuballista* omitti non debet; at *focile* excludendum est» LIS, Soc. Lat., 6 (1938) 18.

«Quod autem mortiferum instrumentum vulgo *revolver* omnes nominamus, *manuballistulam* apte dicere nonne licebit? *Manuballistam* dixi, hoc hoc est «*ballista gesta manu*», numne, machinae et vim agendi rationem considerando, hoc vocabulo proprius significaverimus, quod «*focile*» fere apud omnes nunc sonat, dictumque est passim a latinis saec. XVI et seqq. scriptoribus *ignarius sclopus*, *ferrea fistula*, *bombarda ductilis*? Quod autem mortiferum instrumentum vulgo *revolver* omnes nominamus, *manuballistulam* apte dicere nonne licebit? I. F. [FORNARI?], Alma R., 3 (1916) 33, c. 2.^a, 1.

— Wolffius adhibet *sclopus* (*Compendium*, t. II, p. 139, 6), Natham (*Revised Medieval Latin...*) refert *sclopus* - *sclopetus* - *sclopétarius*; olim fuit etiam *scloppus* (cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique...*, s. v.) et ipse Natham habet *focile*: «'fusil', steel for striking sparks out of flint c. 550»: cuius sensus progressio a *lapide igniario* usque ad *sclopetum* significandum, ex proposita etymologia a J. Corominas (*Breve diccionario etimol. de la lengua castellana*², Madrid 1967, s. v. *fusil*) rursus consideranda est.

Investigari iterum oportet de singulis his vocibus: utrum inducendas sint, necne, et quo proprio sensu: nam sunt voces vernaculae 'escopeta, fusil, pistola, revólver...' in latinum convertendae.

107. COLLINEARE, SPECULARI, SCLOPETARI: 'apuntar, dirigir la puntería, dirigir la mira - mirare, prendre la mira' ...

108. CRENA: 'alza - alzo'...

109. GRANUM, VERRUCA SCLOPETI: 'mira - mira, mirino':

«Linea speculae vocatur Germ. *Visierlinie*. Quam lineam qui in certum punctum dirigit, *collineare* dicitur» HOLZER, *Soc. Lat.*, 8 (1940) 28, 2.

«Sclopetum autem *collineare* est sclopetum ita dirigere, ut linea ab oculo speculante per *crenam* ('Kimme') et *granum* seu *verrucam sclopeti* ('Korn') ad scopum ('Kiel') ducta exstet aequabilis» *Ibidem*.

«Sclopetarii igitur est talem dare sclopeto et in altitudinem et in longitudinem regionem, ut linea speculae in punctum speculae, quo res expostulat, incidat et *granum strictum* (*gestrichenes Korn*) haereat media in *crena* i. e. ut grani fastigium summum eandem altitudinem habeat, quam crista dioptriae ('Visierkamm')» *Ibid.*, p. 28, 3.

«Sit forma verbalis: *sclopetari*» *Ibid.*, p. 27, 2.

«Si *sclopetari* in animo est» *Ibid.*, p. 29, 3.

— Investigandum tamen utrum *speculari*, *collineare*, *sclopetari* res diversas significant, necne; quod si ita est, verbum *sclopetari*, ut vox omnino technica, probari fortasse poterit.

110. EMBOLUS: 'cartucho - cartuccia'...

111. MODULUS: 'calibre - calibra':

«In hujusmodi *emboli* theca cuprea insidet telum seu projectile» HOLZER, *Soc. Lat.*, 8 (1940) 27,3.

«Ex quibus sclopetis tantummodo *embolos moduli* minuti emitte-HOLZER, *Ibid.* p. 27,3.

re licet... *Embolorum modulus* est magnitudine vigesima altera...»

— *Embolus* proprie significat «paxillus, cuneus, aut aliud quippiam, quod in foramen aliquod immitti inducique ac reduci potest: qualia sunt, quibus clysteres injiciuntur a medicis...» (FORCELLINI, Lexicon, s. v.); neque obstat quo minus vox ad *cartucho - cartuccia* designandum aptetur. Josepho Holzer fidem facimus, quem alii fortasse scriptores in voce usurpanda praecesserunt; ac plane rectius, quam ii qui rem tantum modo describunt: «globulus chartaceus glandibus ac pulvere fartus». Quid scriptores illius aetatis —qua haec inventa sunt— dixerint, nondum repperi. Attamen, rei congruunt nomina *cucullus* (*pyrius*), *capsula* (*pyria*), ut est in *Novis verbis latinis*, p. 221, 49.

Wolffius pro *modulo* ('calibre - calibra'), quem J. Holzer proponit, saepe *calibra* utitur (*Compendium matheseos...*, II, 142, 15-16): «*Calibra* est diameter cavitatis tormenti»; «*Regula calibrae* est modulus, in quo longitudines diametrorum globorum... designatae sunt»; eaque vox ab Arabibus mutuata videtur; et ut technica nonne probari et induci potest?

112. LIGULA: 'disparador - grilletto':

«... digito indice *ligulam* tangimus. ... adducimus *ligulam*..., caveat ne *ligulam*... rapiat» HOLZER, *Soc. Lat.*, 8 (1940) 30, 1-2-3.

— *Ligulam* proponimus ad 'disparador - grilletto' designandum, et *catulum* quo 'gatillo - cane' dicamus; ideo retractari oportet locus in *Novis verbis latinis* (p. 221, 54 et 54): nam in omnibus armis sunt *ligula* et *catulus*.

113. AERONAVIGATIO: 'navegación aérea - navigazione aerea':

«Quid novamus *aëronavigationem?* *Vectio aërea* vel *vectura aërea* magis colorem latinum praebent» LIS, *Soc. Lat.*, 5 (1937) 22,1.

— Lurz (*Ibid.*, 18 (1952) 13 s.v. *Luftbad*): «*vectura (vectio) aëria;* ... *aëronavigatio*»: quae omnia probari possunt. Tamen, initio ab H. De Vecchi Pieralice (*V. U.*, 1899, 54) dicta est *aërea navigatio*, cfr. *Nova v. latina*, p. 197, n. 21.

114. VOLATOR: 'aviador - aviatore':

«Qui volat, is *volator* jure nominatur. 'Aviator' et 'pilota' latinitatem depravare videntur» LIS, *Soc. Lat.*, 6 (1938) 18.

— Lurz (*Ibid.*, 18 (1952) 7): «*volator* (nicht 'aviator')». Attamen, totiens scriptores vocibus *aviator* et *aviatio* utuntur ut animum inducant ut eas iterum ex primigenio sensu et in sua progressione perscrutemur. En tantum nonnullos locos ex *Vocis Urbis sumptos:*

aviator:

- 16 (1913) 78, c. 2;
- 14 (1911) 62, c. 1.^a, 6;
- 14 (1911) 142, c. 2,4, p. 174;
- 15 (1912) 126, c. 2.^a, 1 et 6;
- 14 (1911) 14, c. 2.^a, 10;
- 14 (1911) 30, c. 1.^a, 11;
- 14 (1911) 30, c. 1.^a, 16;
- 30, c. 2.^a, 5;
- 95, c. 1.^a, 4;
- 95, c. 1.^a, 12;
- 110, c. 2.^a, 11;
- 110, c. 2.^a, 5 et 7;
- 16 (1913) 30, c. 2.^a;
- 14 (1911) 159, c. 2.^a, 1;
- 15 (1912) 79, c. 1.^a, 5; cet.

aviatio:

- 14 (1911) 14, c. 2.^a, 2;
- 14 (1911) 14, c. 2.^a, 16;
- 14 (1911) 95, c. 1.^a, 13;
- 14 (1911) 126, c. 2.^a, 16
- 14 (1911) 159, c. 1.^a, 5;
- 15 (1912) 14, c. 2.^a, 9;
- 11 (1908) 83, c. 2.^a, 12;
- 15 (1912) 95, c. 2.^a, 1;
- 15 (1912) 126, c. 1.^a;
- 15 (1912) 142, c. 1.^a, 6; cet.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

DE COMMENTARIIS DIURNIS ET TELEVISIFICA CAPSELLA*

21

Impressa prelo, contiguis locis,
Tum res honestas pagina protulit,
Tum non honestas; laeta juxta
Tristia sunt pariter relata.

Tum vera scriptor falsaque miscuit,
Tum jura passim sacraque polluit;
Cui nomen anceps: num vocetur
Impius aut sceleratus iste.

Quandoque volvi saecula desinent:
At nostra cursu tempora progredi
Non destiterunt; immo cultus
Amplior ut populos adauget!

Nam mira semper nunc superant nova
Inventa nuper: missa per aethera
Imago rerum vox simulque
Lumina jam feriunt et aures!

Exinde prelo prodita pagina,
Quae tamdiu acri munere praestitit
De quaque re vulgus docendi,
Vix gravius superesse certat.

Contra, strepentes, continuos sonos
Capsella nobis in vitro albulo¹
Edit, figuras saepe taetras
Imprimit, absque pudore, rerum.

Haec histrionum praebet imagines
Forma carentes foedave denotat:
Raro jocose scurra garrit:
Turpe, tacens, agit immo mimos.

* Carmen argenteo nummo ac diplomate ornatum in «Certamine Catulliano» VIII, Veronae, MCMLXXIV.

1. Albulo = substantivum deminutum, quo tabula significatur, in qua quidam eventus adnotentur.

Istis quis absit lusibus? Ocius,
 Prelo subactis forte diariis
 Qui vix heri plausus fuerunt,
 Aetherias ineunt per undas.

Multumne rebus proficit in dies
 Aetatis hujus progenies novis?
 Si moribus jam pejor exstet,
 Arte tamen generosa fiet! ²

Verum juventam, cui vigor amplior,
 Quae mente pollet, se dare fabulis
 Vel dedecet: quod nomen ejus,
 Quod patriae pietas repugnat.

Januarius prof. MARINELLI
 NEAPOLI (in Italia)
 Via Salvatore Rosa, 241

2. Haec sententia per «ironiam» sumatur.

COMMENTARII IN DECIMI JUNII JUVENALIS SATURAM TERTIAM

VITA JUVENALIS

Antiquitus grammatici in ludis breves auctorem vitas eorumque opera discipulis proponere solebant. Ex Juvenalis vitis una superest, quae, ut videtur, saeculo quarto post Christum natum condita Probi commentariis adjecta est. Pauca sane de Juvenale continet, quae quidem jam ex saturis ipsis colligi possunt; sed cum haec una sit, quae genuina esse videatur, integrum hic proferre placuit brevique commentario instruere.

«D. Iunius Juvenalis, *libertini** *locupletis* incertum est filius *alumnus*; ad medianam fere aetatem declamavit *animi* magis *causa* quam quod se *scholae* aut *foro* praepararet. deinde paucorum versuum *satura* non *absurde* composita in *Paridem pantomimum* poetamque eius *semenstribus* militiolis *tumentem* genus scripturae *industriose* excoluit; et tamen diu *ne modico* quidem *auditorio* *quicquam committere ausus est*. mox *magna frequentia tantoque successu* bis ter auditus est, *ut ea quoque quae prima fecerat inferciret* novis scriptis (VII. 90-92):

quod non dant *procères*, dabit histrio. tu *Camerinos* et *Bareas*, tu nobilium *magna atria curas*?
praefectos *Pelopea* facit, *Philomela* tribunos. (v. 7, 90)

erat tum in deliciis *aulae histrio* multique *fautorum eius* cottidie *provehabantur*. venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figurata *notasset*, ac statim *per honorem militiae*, quamquam *octogenarius*, *urbe summotus* est missusque ad praefecturam *cohortis* in extremam partem *Aegypti* *tendentis*. id *supplicii* genus placuit, ut levi atque *ioculari* delicto par esset. verum intra brevissimum tempus *angore et taedio* periit.

COMMENTARII IN VITAM JUVENALIS

- *1. *libertinus* sive *libertus* est servus, qui libertate est donatus.
locuples, ētis: id est dives, divītis.
2. *alumnus*: filius qui adoptatus est; filius adoptivus.
animi... causa i.e., ingenii causa, voluptatis causa, quam declamando percipiebat.
3. *scholae aut foro*: sc. ad docendam rhetoricam sive artem oratoriam foro exercendam; ut esset rhetor sive causidicus.
4. *absurde*: male; non absurde composita, id est bene conscripta.
- Paris*, īdis: histrio qui tempore Domitiani (80-96 p.C.n.) flōruit; in Paridem: contra Paridem.
- pantomīmus*, 1: histrio qui omnia gestibus agit: a voce Graeca πᾶν = omne et μῖμος = imitator.
5. *semenstribus*: sex — mensibus: apud Romanos juvenes ab anno 17 usque ad annos 37 aetatis suae stipendia maerebant; quae cu mabsolvissent, privilegia multa optinebant. Nonnulli tamen praesertim amici imperatoris, haec privilegia, per brevissimum tempus militando, injuste consequabantur, quod sane Juvenali bilem movebat.
- tumentem*: superbientem.
- industriose*: diligenter.
6. *modico auditorio*: paucis auditoribus.
- ne quicquam*: nihil.
- committere ausus est*: recitare; declamare ausus est.
7. *magna frequentia*: a frequentibus, a multis auditoribus auditus est.
8. *tantoque successu*: tam magno successu.
- ut ea quae*: ut etiam eas saturas, quas...
- fecerat*: scripserat.
- inferciret*: augeret.
9. *procēres*: senatores.
- Camerinus* et *Barēa* erant nomina nobilissima et notissima apud Romanos tunc temporis.
10. *magna atria curas*: magnas domus, nobilissimos Romanos colis? patriciorum gratias sibi conciliare tentas? Frustra! Nam si hoc facis, tempus teris.

* Numeri ad lineas referuntur.

11. *Pelopēa* et *Philomēla* erant personae in fabulis satiricis, quarum partes Paris agebat.
12. *aulae histrio*: palatii, imperatoris regiae domus mimus.
fautorum: amicorum.
eius: Paridis.
13. *provehebantur* sc. ad honores.
14. *notasset*: notavisset, descripsisset.
per honorem militiae: per speciem, per simulationem, sub obtentu honoris.
15. *octogenarius*: vir qui octagesimum agit annum, vir qui inter octoginta et nonaginta annos natus est.
urbe summotus: ab urbe Roma amotus.
cohortis tendentis: cohortis euntis, iter facientis in ultimam partem Aegypti, quae pars ad Aethiopes vergit.
16. *Aegyptus*, i: feminina vox, est provincia per quam Nilus fluit.
supplici: poenae; placuit, subauditur: Domitiano imperatori.
17. *ioculari*: adjективum «jocularis, -e» originem dicit a voce *jocus*, (pl. *joci*). Hoc loco valet ac *ridiculus*, -a, -um: ut poena esset ridicula ut delictum erat *ridiculum*; i.e. ut Juvenalis omnibus esset *irrisui*, ut ea, quae scripsit, omnibus *risum moverunt*.
18. *angore et taedio*: dolore et fastidio vitae Juvenalis periit, id est mortem obiit, mortuus est.

COMMENTARII IN DECIMI JUNII JUVENALIS SATURAM TERTIAM

Quamvis *digressu* veteris confusus amici,
laudo tamen, vacuis *quod sedem figere Cumis*
destinet atque unum civem donare Sibyllae.
ianua Baiarum est et gratum litus amoeni
secessus. ego vel *Prochytam praepono Suburae*;
nam quid tam miserum, *tam solum* vidimus, ut non
deterius credas *horrere* incendia, *lapsus*
tectorum assiduos ac mille pericula *saevae*

urbis et Augusto *recitantes* mense *poetas*?
 sed dum *tota domus raeda* componitur, una,
 substitit ad veteres arcus madidamque *Capenam*. 10

Commentarii:

1. *digressus*, us, m.: egressus sc. ex urbe Roma; contrarium: adventus.
- 2-3. *quod destinet figere sedem Cumis*: quia decernat habitate in urbe Cumis. Cumae, -arum, plurale tantum, urbs antiquissima non longe a Neapoli, ubi Sibylla illa Cumana oracula dabat, sita est.
4. *ianua*: porta, introitus, quo Baias versus itur.
Baiae, arum, plurale tantum, urbs amoenissima apud Neapolim in litore sita quo Romani ditiores ad vires reficiendas saepe commeabant.
5. *Prochyta*, -ae: insula parva et deserta apud Cumas quam Itali hodie Procida vocant; *Praepono*: antepono, präfero, malo.
Subūra, -ae: via in urbe Roma notissima, ubi maxima ex parte pauperes hominesque periti habitabant, non tamen omnes, scimus enim Caesarem quoque ibi domum habuisse.
6. *tam solum*: tam desertum, tam derelictum, tam solitarium.
7. *deterius*: pejus; incendia in urbe frequentissima et periculosissima erant, praesertim eis qui in summo tabulatu habitabant.
horrere: multum timere.
lapsus tectorum assiduos: continuas aedium ruinas, casus.
8. *saevae*: ferae.
9. *recitantes... poetas*: malos poetas declamantes carmina sua pessima in viis, foris et sub porticibus urbis Romae.
10. *tota domus*: omnia domus supellectilia, instrumenta: ut lectus, scrinium et similia.
raeda, ae: currus qui quattuor habet rotas ad merces transportandas. Haec vox est gallica, quia hujus generis currus ex Gallia in Italiam importatus est.
11. *Capena*, -ae: urbis porta notissima a qua Via Appia initium capiebat. Super hanc portam aqua Marcia fluebat et per rimas portam madidam, id est humidam, faciebat. Ibi ad portam Capenam.

* Numeri ad versus non ad voces referuntur.

raeda... substitit: mulio mulos sistere et quiescere per breve tempus fecit.

*hic ubi nocturnae Numa constituebat amicae
nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Iudeis quorum cophinus faenumque supellex,
omnis enim populo mercedem pendere iussa est 15
arbor et eiectis mendicat silva Camenis
in vallem Egeriae descendimus et speluncas
dissimiles veris. quanto praesentius esset
numen aquis, viridi si margine cluderet undas
herba nec ingenuum violarent marmora tofum. 20*

12. *hic:* idem valet ac «hoc loco» id est, apud fontem sacrum Egeriae, ubi Numa Pompilius, tertius rex Romanorum, conveniebat Egeriam, quae ipsi responsa de religione daret...!
13. *nunc... locantur:* i.e. Judaei, qui fonte sacro, nemore et delubris utuntur, pro eis pecuniam populo Romano solvere debent. Romani Judaeis fontes sacros, nemus et delubra locant, Judaei vero ea a Romanis conducunt.
14. *cophinus,* vox Graeca; latine sportula sive canistrum dicatur. Judaeorum suppelletilia sunt cophinus et foenum. Foenum herba sicca est. Instrumenta, quibus domi ad sedendum, ad cubandum, ad vestimenta seponenda utimur, ut sellis, toris, scriniis similibusque, supellex dicuntur.
15. *omnis ... mercedem pendere,* i. e. pecuniam solvere populo Romano jussa est unaquaque familia Iudea, quae sub arbore in tabernaculo habitabat.
16. *mendicat silva:* i.e. Judaei, qui vivunt in silva mendicant ad victum optinendum idem valet ac «aera rogare; precibus civum, victum, alimenta rogare.»
eiectis ... Camenis: quae Graece nymphae vel Musae, latine Camenae dicuntur.
17. *in vallem Egeriae descendimus:* sc. ego Juvenalis et Umbrius imus in vallem sacram Egeriae, quae est inter colles Caelium et Aventium. In hac valle Camena Egeria Numae Pompilio, Romanorum regi, responsa nocte dabat, uf fama est.
speluncas dissimiles veris sc. speluncis; quia marmora tofum nativum ac rude violant, laedunt eum condendo.

- 18 - 20. ·Significatus: Quanto manifestius esset numen inesse in aquis, si spelunca intacta maneret. Deus enim manifestior est in natura, quam in artefactis.

*hic tunc Umbrius 'quando artibus' honestis
nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
res hodie, minor est, here quam fuit, atque eadem cras
deteret exiguis aliquid, proponimus illuc
ire, fatigatas ubi Daedalus exuit alas,* 25
*dum nova canities, dum prima et recta senectus,
dum superest Lachesis quod torqueat, et pedibus me
porto meis nullo dextram subeunte bacillo.*

21. *hic tunc Umbrius*: hoc puncto temporis cum Juvenalis et Umbrius pervenerunt in imam speluncam dixit... Umbrius est Romanus quidem civis, sed pauper et ira flagrans contra pessimas condiciones, quae sunt in urbe Roma.
quando: quia, cum.
23. *res hodie minor est, here quam fuit*: cum res domestica hodie minor est: cum hodie pauperior sum quam fui heri. «here nunc 'e' littera terminamus, at veterum comicorum adhuc libris invenio 'heri ad me venit' » legimus apud Quintilianum 7, 22.
24. *proponimus*: pluralis majestatis pro ego Umbrius propono, quod idem valet atque in mente habeo, constituo.
25. ... *illuc ire — fatigatas ubi Daedalus exuit alas*.
Apud Vergilium haec scripta videmus:
Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna
praepetibus pennis ausus se credere caelo,
insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.

(Aen. VI, 14-17).

- Traditum est enim cives ex urbe Chalcede, quae in Euboea est, colonos in Italiam deduxisse Cumasque condidisse, quamobrem 'Chalcidica arx' idem valet atque 'Cumaea arx'. Ibi sc. Cumis Daedalus alas Phoebo sacravit «posuitque immania templa». (Aen. VI, 19).

27. *Lachesis*, una ex tribus Parcis, filum humanae vitae net; cum totum filum pernevitur, homo moritur. «Cum mihi

supremos Lachesis perneverit annos», cecinit Martialis 88, 9. quod idem valet ac: «cum mihi moriendum fuerit». Mors saepe «iter fatale» dicitur, quia fato omnibus ineundum est. Catullus quoque cecinit de mortuo passere: «qui nunc it per iter tenebricosum illud, unde negnat redire quemquam». (Carmen 3).

28. *Dextram* vel dexteram sc. manum. Bacillum est parvum baculum. Antiquitus, ut hodie quoque apud multas gentes, senes baculo utuntur, quo facilius ambulent. Locus significat: exeo ex urbe dum mihi vires supersunt.

cedamus patria. vivant *Artorius* istic
et *Catulus*, maneant qui nigrum in candida vertunt, 30
quis facile est aedem conducere flumina portus,
siccandam *eluviem*, portandum ad busta cadaver,
et praebere caput domina venale sub hasta.
quondam hi cornicines et municipalis harenae
perpetui comites notaeque per oppida *buccae*, 35

29. *cedamus patria:* discedamus ex urbe Roma, quae patria nobis est.
- 29 - 30. *Artorius* et *Catulus*, cives Romani sunt, de quibus nihil scimus, sed ex contextu malos cives esse facile intellegitur.
31. Maneant Romae *quis (quibus) facile est conducere aedem, flumina, portus*. Hoc loco conducere fere idem valet ac locare. Senatores enim conducebant aedes (templa), flumina (sc. Tiberim), portus a republica, ut eadem locarent redemptoribus, qui aedes, flumina, portus repararent, qui ripas et alveum Tiberis et cloacas urbis in pristinum statum redigerent, ut naves transire et aquae pluviae ceteraeque immunditiae in flumen diffluere possent. Haec ministeria apud Romanos non longe a poena habebantur, quamobrem a servis infimae condicionis perficiebantur.
32. *eluvies* valet diluvium quod saepe Romam invadebat. Bustum, id est sepulcrum ubi cadaver Romani comburebant seu cremabant.
34. *quondam hi cornicines:* hi qui tempore praeterito cornu caneabant, dum gladiatores inter se pugnabant, hi viri qui noti sunt in omnibus municipiis Italiae, hi nunc ditissimi munera gladiatoria dare possunt, i.e. hi facti sunt ditissimi dum nos «Quirites» pauperes fuimus et adhuc sumus.
35. *bucca:* os, facies, vultus: pro hominibus.

munera nunc edunt et *verso pollice* vulgus
 cum iubet, *occidunt populariter*; inde reversi
 conducunt *foricas*, et cur non omnia? cum sint,
 quales ex humili magna ad fastigia rerum
 extollit quotiens voluit, Fortuna iocari. 40
quid Romae faciam? mentiri nescio; librum,
 si malus est, nequeo laudare et poscere; *motus*
astrorum ignoro; *funus promittere patris*
nec volo nec possum; ranarum viscera numquam

36. *verso pollice*: quamquam adhuc sub judice est, quid «verso pollice» significet, tamen ii qui sciunt, «verso pollice» ad terram mortem significare velle arbitrantur, ad caelum vero «verso pollice» vitam. Cum gladiator quidam a competitore superatus in arena saucius jacebat spectatores pollice se ei vitam servare velle significabant.
37. *occidunt populariter*: ita occidunt ut sit populo gratum.
38. *foricas*: verbum hoc apax legomenon, i. e. hoc vocabulum semel tantum adhibitum est. «Foricae» latrīnae publicae sunt, quae ad civium usum in locis variis per urbem extuctae erant atque conductoribus locabantur. Qui vero foricis utebantur parvam pecuniam pro usu solvebant.
- 34 - 40. *Significatio*: Exeo Roma, quia Romae sunt hi cornicines, qui ex pauperibus ditissimi facti, munera gladiatoria edunt, omnia facere possunt ut ii faciunt omnia, quos dea Fortuna cum jocari vult, extollit ex imo ad summa fastigia rerum.
41. *quid Romae faciam?* Responsio: Nihil. Haec sententia interrogativa rhetorica est.
42. Juvenalis aetate mos invaluit scripta sua publice recitare, quae homines venales semper laudabant et recitatorem divitem et vanum rogabant, ut ea iterum iterumque recitaret, non quia carmina illa optima essent, sed quia se pecuniam vel cenam accepturos sperabant. Vide quoque supra versum 9.
- 42-43. *motus astrorum ignoro*: hoc est astrologiam nescio qua antiqui futura se posse praedicere credebant. «Aster» nomen Graecum est, latine stella dicitur. Juvenalis verbis Graecis saepe utitur, ut «cophinus» in versu 14, latine sporula, canistrum.

inspexi; *ferre ad nuptam* quae mittit adulter,
quae mandat, norunt alii; me nemo ministro
fur erit, atque *ideo nulli comes exeo* tamquam
mancus et extinctae, corpus non utile, dextrae.
quis nunc diligitur nisi conscius et cui fervens
aestuat occultis animus semperque tacendis?
nil tibi se debere putat, nil conferet umquam,
participem qui te secreti fecit honesti:
carus erit Verri, qui *Verrem tempore quo vult*
accusare potest. tanti tibi non sit opaci
omnis harena Tagi quodque in mare volvitur aurum,
ut somno careas ponendaque praemia sumas
tristis et a magno semper timearis amico.

- 43 - 44. *funus promittere patris nec volo nec possum*: funus, funeris, n., i.e. mortem. Mortuo patre filii hereditatem accipiunt, eaque quae antea facere non potuerunt nunc pecunia accepta, facere possum sc. omnibus illecebris sese tradere.

45. *ferre ad nuptam*: scilicet ad mulierem matrimonio junctam dona quae adulter vir dat pro ea multi Romani sciunt (noverunt) ferre, non tamen ego Umbricius qui numquam hoc feci nec faciam.

47. *ideo nulli comes exeo*: quia nolo furari, nullus proconsul, nullus procurator vult me comitem in provinciam secum ire, tamquam hominem mancum, curtum, imperitum, habentem manum debilem ad furandum.

49 - 50. Romae inter malos tantum amicitiae locus est: ut aliquem nobis devinciamus, debemus cum eo aliquod facinus facere, ut eum compellamus ad tacendum. Ego tamen Umbricius hac condicione nulos volo habere amicos.

53. *Verres*, propraetor in Sicilia fuit, in quem Cicero orationes, quae Verrinae inscribuntur, habuit. Hoc loco, vir malus. Pessimi et corrupti judices saepe homines reos absolvebant ut ab eis pecuniam aliaque munera acciperent. Latro apud judicem corruptum accusari vult ut ab eo absolvatur et innocens habeatur.

54 - 57. *Significatus*: tanti momenti ne sit tibi omnis harena aurea umbrosi Tagi fluminis, qui per Lusitaniam in Oceanum Atlanticum sese volvit, ut velis carere somno nec ut velis accipere praemia quae mox tristis depositurus es ut semper timearis a magno amico Mathone, quia lectica tua major et splendidior erit quam ejus. Matho vir legum peritissimus fuit ac tam crasssu, ut duorum hominum spatium sedendo occuparet. Floruit vero tempore Juvenalis.

quae nunc divitibus gens acceptissima nostris,
et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
nec pudor opstabit. *non possum ferre*, Quirites, 60
Graecam urbem; quamvis quota portio *faecis Achaei*?
iam pridem Syrus in Tiberim defluxit *Orontes*
et liguam et mores et cum tibicine chordas
obliquas nec non gentilia tympana secum
vexit et ad circum iussas prostare puellas; 65
ite, quibus grata est picta lupa barbara *mitra*.
rusticus ille tuus sumit *trechedipna*, Quirine,
et ceromatico fert niceteria collo.

60. *non possum ferre*, i.e. tolerare urbem Romam Graecam factam amplius nequeo.
61. *Achaei* idem valet ac Graeci. Subjectum est Achaei. *Faex*, *faecis*: sedimentum, coenum. Quamquam Graeci quanta pars *faecis* in urbe Roma sunt?
62. *Orontes* flumen in Syria est, in cuius ripa Antiochia, urbs notissima, sita est. *Orontes* pro Syris est. *Tiberis* pro Romanis est.
Significatus: Syri Roman invaserunt ita ut ex urbe Latina Syra seu peregrina facta sit.
65. *vexit*: portavit, transtulit mulieres prostitutas quae jubentur stare ante circum Maximum, ut viri inde exeuntes eas conducant.
66. *ite* sc. ad Circum Maximum vos omnes quibus placent Romani vestibus peregrinis vestiti.
mitra erat Persarum velamen, quo caput tegebant.
67. *trechedipna* ($\tau\varrho\chi\epsilon\delta\epsilon\pi\tau\nu\sigma$) genus Graecum calceamentorum.

hic alta Sicyone, ast Amydone relicta,
 hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis, 70
 Esquilius dictumque petunt a vimine collem,
 viscera magnarum domuum dominique futuri.
 ingenium velox audacia perdita, sermo
 promptus et Isaeo torrentior. *ede* quid illum
 esse putas. *quemvis hominem secum attulit ad nos:* 75
 grammaticus rhetor geometres pictor *aliptes*
 augur *schoenobates* medicus magus, omnia novit
 Graeculus esuriens; in caelum, *iussēris*, ibit.
in summa non *Maurus* erat neque Sarmata nec Thrax

69. *hic alta Sicyone*: hic homo venit ex urbe Sicyone quae in Argolide est; Amydon, urbs in Macedonia, Andros et Samus insulae in mari Aegaeo sunt. Tralles et Alabandae urbes in Caria sunt, quae regio in Anatolia est.
71. Hi peregrini, divites facti, domos in colle Esquilino et Viminali aedificant. In his collibus tempore Juvenalis divites domos suas habebant.
72. Hi peregrini erunt viscera, hoc est inquilini in collibus Viminali Esquilino, nos vero Quirites i.e. Romani genuini erimus inquilini insularum, ubi pauperes vivunt. Insulae erant aedificia ad sex tabulata in altitudinem, quae multa continebant cubicula quae inquilinis locabantur.
74. *Isaeus* rhetor erat in Assyria natus, Romae tunc temporis notissimus. *ede*: dic sc. sententiam tuam quid Graecum esse putas.
75. *quemvis hominem Graecus secum ad nos (Romam) attulit*: grammaticum, rhetorem... Constructio haec tamen valde incerta et sui generis est. *Significatus*: Graeculus scit artem grammaticam, rhetoricam... (vel fingit se scire) ut sibi victum comparet.
76. *aliptes seu alipta*, ae, m. erat servus, qui dominum in balneo ungebatur; vel quoque magister ludi ubi pugiles exercitabantur.
77. *schoenobātes*, ae, m. latine pure funambulus.
78. *iussēris*, si jussēris.
79. *in summa*: breviter, ut brevi rem praecidam, nemo Graecos superare potest. Omnia inventa, omnia magna Graeci fecerunt. *Maurus*: qui ex Mauritania erat, quae regio in Africa septentrionali sita est, Maurus appellabatur.

qui sumpsit *pinnas*, mediis sed natus Athenis. 80
 horum ego non fugiam *conchylia?* me prior ille
 signabit fultusque *toro* melior recumbet,
 advectus Romam *quo pruna et cottona vento?*
 usque adeo nihil est, quod nostra infantia caelum
 hausit Aventini baca nutrita Sabina? 85
quid quod adulandi gens prudentissima laudat
 sermonem indocti, faciem deformis amici,

80. *pinnas* i.e. alas. Qui primus volavit Atheniensis erat cs. Daedalus, qui cum filio Icaro ex Labyrintho illo volando aufugit.
81. *conchylia*. Conchylium, i, n., est animal marinum, ex quo antiqui colorem rubrum extrahebant, quo vestimenta tingent. Hoc loco idem valet ac «nonne vitabo eos qui vestibus purpureis induiti sunt» hoc est homines peregrinos. Sine dubio. Nam omnes peregrini, qui Romae sunt, homines perdit et pessimi sunt, quibuscum commercium habere Quirites dedecet.
me prior ille... Cum Romani testamenta signabant, qui maximus erat primus signabat. Umbricius, qui Quiris est, se numquam post barbaros signaturum testamenta jurat.
82. *torus*, i, m. lectus seu cervical, quo in triclinio antiqui utebantur, ad cubandum dum cenabant.
83. Ille Graeculus, ut *pruna et cottona*, advectus est Romam. Pruna et cottona appositiones sunt. Pruna fructus sunt, quae Damasco Romam importabantur, quamobrem «pruna Damascēna» dicebantur. Cottona ficorum genus sunt. *Significatus*: Hi vestibus purpureis vestiti concives seu municipes i. e. cives ejusdem municipii, ex quo municipio pruna et cottona Romam importantur. *quo... vento*, quia pruna et cottona navibus onerariis transportabantur, quae vento Zephyro per mare ex Syria in Latium vehebantur.
- 84-85. *Significatus*: tam parvi est momenti, quod nos Romani, qui nutriti sumus oleis Sabinis (puro et vero cibo avorum nostrorum) et qui respiravimus aerem montis Aventini (qui Romae nati et alti genuini Romani sumus), ut nec testamenta primi signare possimus, ut mos fuit apud majores nostros, ut quisque nobilior prior signaret.
86. *quid quod*: quid dicam de hoc quod...

et longum invalidi collum cervicibus aequat
 Herculis Antaeum procul a tellure tenentis,
 miratur vocem angustam, qua deterius nec
 ille sonat quo mordetur gallina marito? 90
 haec eadem licet et *nobis*, laudare, sed illis
 creditur. *an melior*, cum Thaida sustinet aut cum
 uxorem comoedus agit vel Dorida mullo
 cultam palliollo? mulier nempe ipsa videtur,
 non persona, loqui: vacua et plana omnia dicas
 infra ventriculum et tenui distantia rima. 95

88. *Significatus*: gens in adulando peritissima dicit gracilis et debilis viri longum collum eunden esse atque collum Herculis Antaeum longe a terra tenentis.
 Hercules, ut fama est, heros Graecus fuit, Antaeus vero, Neptuni et Terrae filius, gigas erat, qui in Africa vitam agebat eumque Hercules occidit. Cum Antaeus vires a terra acciperet, Hercules eum in aerem sublevavit itaque suffocavit.
91. *ille* sc. gallus; *quo...marito*: a quo...marito. Constructio tamen confusa et insolita ut grammatice difficile explicari potest. *Significatus*: Graecus laudat vocem debilem divitum, quae vox est raucior quam vox galli cum gallinam mordet, id est cum gallus et gallina copulantur.
92. *nobis* i.e. Romanis; sed illis i.e. Graecis peregrinis creditur.
93. *an melior*: ellipsis vel ut Romani dicebant, detractio; subauditur «num melior comoedus inveniri potest quam Graecus cum in fabulis diversas personas agunt? Interrogatio rhetorica; nam responsio est: Nemo inveniri potest. Cum Graecus comoedus agit meretricem (Thais enim erat notissima meretrix Atheniensis) vel cum Graecus agit ancillam (Doris erat nomen servae Graecae) quae pallium exuit, quo facilius opus suum perficiat, nemo eum imitari, ne dicam, superare potest.
95. Persona, qua actores faciem velabant, viros vel mulieres imitabatur, sed actor ipse semper vir erat et cum mulieris partem agebat muliebrem vocem simulabat. Graeci actores hoc tam bene faciunt, ut eos mulieres esse crederes.

nec tamen *Antiochus* nec erit mirabilis illic
 aut *Stratocles* aut cum molli *Demetrius Haemo*:
 natio comoeda est. *rides*, maiore cachino 100

concutitur: *flet*, si lacrimas conspexit amici,
nec dolet; *igniculum* brumae si tempore poscas,
accipit *endromidem*; si dixeris «*aestuo*», sudat.
non sumus ergo pares: *melior*, qui semper et omni
nocte dieque potest aliena sumere vultum
a facie, *iactare manus* laudare paratus,
si bene *ructavit*, si *rectum* minxit amicus,
si *trulla* inverso crepitum dedit aurea fundo.
scire volunt secreta domus atque inde timeri.
et quoniam coepit Graecorum mentio, transi

105

98. *Antiochus, Haemus, Stratōcles, Demetrius* actores sunt, qui tunc temporis Romae florebant.

Significatus: actores, quorum supra mentionem feci, qui in urbe Roma optimi (mirabiles) aestimabantur, illic i.e. in Graecia mediocres haberentur: nam omnes Graeci boni sunt comoedi.

100. *rides*: sc. si tu rides Graeci vehementius rident.

101. *Graecus flet* i.e. lacrimas fundit, si quem videt lacrimas fundentem, quamquam nihil sentit nec dolet. Quae alii faciunt, omnia et ipse facit, ut eorum gratiam sibi conciliet.

102. *Significatus*: Si tempore hiemali poscas Graecum scintillam ignis ad te calefaciendum, ipse accipit pallium quod tibi dat, ut te calefaciat, sed haec non amore tui facit sed ut majora a te dona obtineat. *Endrōmis*, īdis, f. est vestis genus grave ex lana confectum.

104. *melior, qui semper*: superior est mihi in adulando is qui...

106. *iactare manus paratus*: paratus sc. in disputationibus semper aliis concedere. Nam hoc gestu Romani in disputationibus se argumento seu nimia admiratione victos esse concedebant.

107. *ructavit*: i.e. vomit; *si rectum minxit*: si recte urinam fecit, quae quidem nulla arte, sed natura compulsi necessario recte facimus, tamen Graeculus vel haec se admirari fingit.

108. *trulla*: instrumentum est, quo Romani vinum ex craterē hauriebant et in pocula fundebant.

*gymnasia atque audi facinus maioris abollae.
stoicus occidit Baream, delator amicum,*

115.

discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
ad quam Gorgonei delapsa est *pinna caballi*.
non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protagenes aliquis vel *Diphilus* aut *Hermarchus*,
qui *gentis vitio* numquam partitur amicum,

120

115. *gymnasia* erant loca, ubi Graeci et Romani corpus exercebant. Transi per *gymnasia* et audi *vitia* (facinus) eorum, qui induunt vestes pretiosas, hoc est ausulta *vitia divitum*, peccata nobilium, quae ibi narrantur non ut scelera, sed quasi gloria *essent opera*.
abolla, ae, f. vestimentum ex lana confectum. Qui sciunt non satis consentiunt, quid hic locus valeat, sed ni fallor, vita *divitum plena* est peccatorum, quae in versibus sequentibus recensentur.
116. *stoicus* sc. philosophus. *P. Ignatius Celer*, Beryti in Phoenicia natus, stoicorum assēcla, in dono Barēae Sarāni doctor atque amicus fuit idemque Saranum accusavit mortique tradidit. Nerone enim imperatore, multi homines perditi, ad pecuniam sibi comparandam, delatores facti sunt, inter quos Ignatius Celer eminuit. Vespasiano tamen imperatore Ignatius delator justa morte damnatus est. Hic philosophus educatus est Tarsi, quae urbs in ripa Cydni, in Cilicia sita est.
118. *pinna caballi*. Pegāsus caballus seu equus pinnatus ex Medusae sanguine, ut apud veteres fabulatores scriptum vides, ortus est. Medusa una ex tribus Gorgonibus erat quae centum habebat capita omnia crescentia praeter unum, quod Hercules excidit itaque monstrum morti tradidit, ex ejus tamen sanguine Pegasus ortus est.
120. *Protagenes*, *Diphilus*, *Hermarchus* Graeci sunt, qui, ut proprium est vitium Graecae gentis, amicum cum aliis partiri nolunt nec possunt. Versus hic hexametrum spondacum est, quod rarissime invenitur.
121. *gentis vitio*: ablativus multa significare potest; saepe facilius intuitu intellegitur quam explanatur, quod quidem hic quoque verum est. Hic locus valet: proprium vitium Graecis est, se amicos cum amicis partiri non posse.
- 122-124. *Significatus*: cum aliquis Graecus infuderit in aurem amici, qui facile ei credit, nonnullas stillas seu guttas ve-

neni, quod est proprium ejus naturae et patriae, tunc ego
Umbricius a domo amici mei, inimici jam facti, prohibeor
qui ad eum accedam, Graeci tam periti sunt in calumniando
ut vel amicissimos in inimicissimos vertant.

solus habet. nam cum facilem stillavit in aurem
exiguum de naturae patriaeque veneno,
limine summoveor, perierunt tempora longi
servitii; *nusquam minor est iactura clientis.*
quod *porro* officium, *ne nobis blandiar*, aut quod
pauperis hic meritum, si curet nocte togatus
currere, cum praetor lictorem impellat et ire
praecipitem iubeat dudum vigilantibus orbis,
ne prior *Albinam* et *Modiam* collega salute?
divitis *hic* servo cludit latus ingenuorum

125

130

125. *nusquam minor est iactura clientis* i.c. in nulla urbe minor
est jactura clientis. Jactura: calamitas, damnum, miseria,
incommode. *Significatus*: in nulla urbe condicio clientis
pejor est quam in urbe Roma. Nostra aetate difficile est intel-
legere, quid «cliens» valeat, cum apud nos institutio ipsa
omnino ex usu excidit. Praeterea voces «cliens» et «patro-
nus» aliam apud nos vim habent atque apud Romanos.

126. *porro*: praeterea, deinde. *ne nobis blandiar*: ne nobis Ro-
manis parcam, ut vera de Romanis quoque dicam.

126 - 130. *Significatus*: Quod se officium redditurum aut meritum
se habiturum sperare potest pauper in urbe Roma, ubi vel
paetores urbani jubent servos (lictores) suos ire salutatum
viduas, ut ab eis mortuis hereditatem accipient? Sententia
interrogativa rhetorica: nam responsio ex contextu patet:
nullum meritum, nulla dignitas pauperi in urbe Roma est.
Albina et Modia mulieres sunt, de quibus nihil scimus sed
ex significatu ditissimas viduas esse constat.

131. *hic* in urbe Roma filius liber qui ex ingenuis parentibus
natus est, protegit latus homini, qui servus est diviti.

filius; *alter enim* quantum in legione tribuni
accipiunt donat Calvinae vel Catienae.

da testem Romae tam sanctum quam fuit hospes
numinis Idae, procedat vel Numa vel qui

servavit trepidam flagrant ex aede Minervam:
protinus ad censem, de moribus ultima fiet
quaestio. «quot pascit servos? quot possidet agri
iugera? quam multa magnaque *paropside* cenat?»
quantum quisque sua nummorum servat in arca,
tantum habet et fidei. iures licet et Samothracum
et nostrorum aras, contemnere *fulmina* pauper
creditur atque deos dis ignoscentibus ipsis.

132. *alter* sc. filius servi dat meretricibus tantum pecuniae quantum accipit tribunus plebis, i.e. multum pecuniae. Nam tribuni pl. summos magistratus gradus occupabant magnumque salaryum accipiebant.
Calvina et *Catiena* meretrices seu pelices sunt.

134. *da* i.e. si das, si dabis. Si Romae produces testem tam sanctum, ut fuit sanctus, ut fuit pius P. Cornelius Scipio Nasica, qui dignus fuit, ut acciperet in urbem Cybelen, Magnam Matrem, cum ex monte Pessino in Phrygia Romam delata esset eamque matronis Romanis custodiendam crederet, vel ut *Numa Pompilius* qui omnium regum piissimus et religiosissimus habetur, vel ut L. Caecilius Metellus, qui Palladium i.e. signum Minervae igni eripuit, qua de re cognomen Caeci sibi sumpsit, omnia haec nihil Romani faciunt, sed tantum pecuniam.

140. *protinus* ad censum sc. itur, hoc est ad pecuniam.

141. *pascit* i.e. alit, nutrit. Pascere tamen de armentis et de gregibus dicitur potius quam de servis.

142. *paropsis*, idis, f. vox graeca; latine lanx, patina, catinus dicitur. Paropsis est lanx seu patina, quae apponitur, ut vox graeca indicat. Nam «para» latine «apud» significat.

145. *fulmina*: Juppiter puniebat perjuros fulmine. *Significatus*: de pauperibus eorumque juramentis nemo curat, ne dei quidem qui pauperibus per deos jurantes ignoscunt cum nullius sint momenti.

Quid quod materiam praebet causasque iocorum
omnibus *hic idem*, si foeda et scissa *lacerna*,
si toga *sordidula* est et rupta calceus alter
pelle patet, vel si consuto vulnere crassum
atque recens linum ostendit non una cicatrix?
nil habet infelix paupertas durius in se 150

quam quod ridiculos homines facit. «exeat» inquit,
 «si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
 cuius res legi non sufficit, et sedeant hic
lenonum pueri quocumque ex *fornice* nati,
 hic plaudat nitidus praecoris filius inter
pinnirapi cultos *iuvenes* iuvenesque lanistae.»

155

148. *hic idem* i.e. pauper; *lacerna*, ae, f.: vestimentum quod Romani super togam induebant ut eos contra solem, imbre aut frigus protegeret. Lacerna saepe cucullo munita erat ad caput operiendum ac protegendum.
149. *sordidulus* a sordidus, vox diminutiva est.
155. *cuius res legi non sufficit*: ut quis eques esset saltem 400.000 sestertium habere debuit: huic legi satisfacere opus erat. Legi a lex, legis.
156. *lenonum pueri*: is qui meretrices procurat, leno dicitur. *Ex fornice*: translate per similitudinem *fornices* dictae sunt *cellae concameratae* vel *pergulae*, in quibus prostabant meretrices. Cfr. FORCELLINI, sub voce «*fornix*».
158. *pinnirapus*, i. m. Pinnirapos autem dicit lanistas ex habitu gladiatorum, qui postquam retiarium occiderunt, ejus pinnam, id est manicam rapiebant, ut hoc modo populo se vicisse ostenderent. Vetus scholiastes ad vocem lanista dicit hanc vocem pro gladiatorum magistro usurpari. Gladiatores enim eorumque magistri in magno contemptu a viris bonis habebantur, ut lanistae et lenones, qui apud Romanos ab omnibus in infimo loco habebantur. *iuvenes*, i.e. liberos, filios.

(Commentarii proximo fasciculo sequentur)

BOLESLAUS C. POVSIC, Latinarum Litterarum Professor
 Bowling Green, Ohio 43402 in Universitate Boulingriensi
 in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus (U.S.A.)

DE LICENTIIS POETICIS APUD HORATIUM

Prius jam de figuris *quantitativis* egimus (1); restat nunc de figuris, quas *immutantes* vocabimus, nonnulla dicere. De earum ergo natura breviter disserere juvat easque Horatianis exemplis diligenter confirmare.

II. — *De figuris immutantibus*

Figurae, quas *immutantes* dicimus, *absolutae esse possunt vel relativae; absolutae*, cum verba ipsa immutantur sine collatione seu conexione cum aliis verbis; *relativae* vero, cum verba immutantur ratione tantum alterius vocabuli proxime positi. Un prioribus, id est, in figuris immutantibus absolutis verba per se immutata apparent et quoad graphiam et quoad sonum; in posterioribus id est in figuris, relativis, verba eadem apparent et quoad graphiam et quoad sonum, sed earum metrica virtus alia est, cum, exempli gratia, per synaloepham vel elisionem, quibus vocabulis, diphthongus seu -m finalis eliditur et quodammodo absorbetur ante vocalem vocabuli sequentis.

Quae vero sint figurae sive absolutae sive relativae, en tibi habes, lector humanissime:

A) *Figurae absolutae*: Prothesis, aphaeresis, syncope, epenthesis, apocope, paragoge.

B) *Figurae relativae*: Synaloepha, elisio vel ecthipsis, tmesis, hiatus.

Quandoque hae figurae generico nomine *metaplasmi* cognoscuntur, cum scilicet vetus verborum forma vel necessitate metri vel poematis ornatu a poetis in novam faciem mutatur. Praecipua metaplasmi genera sunt: aphaeresis, epenthesis, syncope, apocope, paragoge.

Sed jam pressius naturam harum omnium figurarum declaremus exemplisque Horatianis unamquamque earum confirmare curabimus.

(1) *Pal. Lat.* n.143, 1954, 123-126.

A) — Figurae absolutae

1) **PROTHESIS** fit cum principio vocabuli syllaba additur.

Apud Horatium praeter alia, haec saltem duo exempla invenies: *inamarescunt* pro *amarescunt* (*Serm. II. 7, 107*); *incogitat* pro *cogitat* (*Ep. 2, 1, 122*).

2) **APHAERESIS** fit cum principio vocis littera seu syllaba subtrahitur, ex. gr. *orandumst* pro *orandum est*, *sodes* pro *si audes*.

In Horatianis operibus saepe *sodes* apparet; cf. *Serm. 1,9,41*; *Epist. 1,1,62*; *Epist. 1,7,15*; *Epist. 1,16,31*; *Ars Poet. 438*.

3) **SYNCOPE**, vi cuius littera seu syllaba e medio vocabuli sustrahitur, cum ex. gr. dicimus, *periclis* pro *periculis*, *vincla* pro *vincula*.

Apud Horatium plurima invenies exempla figurae seu licentiae poeticae. Nonnulla tantum afferam:

vincla: *Epod. 9,9; 17,22; Epist. 1,7,67*.

caldior: *Serm. 1,3,53*.

soldum, soldo: *Serm. 2,5,65; 1, 2,113*.

puertiae: *Carm. 1,36,8*.

surpuerat: *Carm. 4,13,20; surpite*: *Serm. 2,3,283*.

evasti: *Serm. 2,7,68; percusti*: *Serm. 2,3,273; divisse*: *Serm. 2,3,169; surrexe*: *Serm. 1,9,73; erepsemus*: *Serm. 1,5,79*;

ditis pro divitis: *Epod. 2,65; ditem pro divitem*: *Serm. 1,7,19*.

nil pro nihil: passim in omnibus carminibus; *nil*: omnino praevalet in *Serm. atque Epist.*

4) **EPENTHESIS**. — Haec licentia fit cum medio vocabuli littera vel syllaba interjicitur, ut *Mavors* pro *Mars*, *navita* pro *nauta*.

En tibi nonnulla exempla Horatiana:

...quid foret Iliae / *Mavortisque* puer (*Carm. 4,8,23*).

nil pictis timidus navita pupibus / fudit... (*Carm. 1,14,14*).

...*navita* Bosporum / Poenus perhorrescit (*Carm. 2,13,14*).

insanientem navita Bosporum / temptabo (*Carm. 3,4,30*).

o quantus instat *navitis* sudor tuis (*Epod. 10,15*).

5) **APOCOPE**. — Hac licentia utimur cum in fine verbi aliquid detrahimus, ut, ex. gr., cum *tuguri* dicimus por voce *tugurii*.

... Satis sit his paucis exemplis usum hujus licentiae apud Horatium confirmare:

quem vocet divum populus ruentis / *imperi* rebus? (*Carm.* 1,2,26).

Pompili regnum... / Tarquini fasces... (*Carm.* 1,12,34-35).

ni pro nisi: passim; *ni*, in lyricis bis: *Carm.* 4,6,21; *Epod.* 1,8.

6) PARAGOGE. — Haec licentia fit cum extremae syllabae aliquid additur, ut, cum ex. gr. dicimus *deludier* pro *deludi*.

Apud Horatium invenimus *quine* pro *qui*:

O seri studiorum, *quine* putetis / difficile (*Serm.* 1,10,21).

B) — *Figurae relativae*

1) SYNALOEPHA. — Hoc nomine significatur figura seu licentia illa, qua vocalis seu diphthongus praecedentis vocabuli a sequenti vocali eliditur et quodammodo absorbetur, ut ex. gr.:

Conticuer'omnes intentiqu'ora tenebant (*VERG. Aen.* II, 1).

2) ELISIO seu ECTHLIPSIS similis est synaloephae, fitque cum -m littera finalis simul cum vocali initio vocis concurrit, unde -m littera cum vocali praecedenti eliditur ob sequentem vocalem. Ita ex. gr.:

Itali[am], Italianum primus conclamat Achates (*VERG., Aen.* III, 523).

Saepe elisio fit in fine carminis per influxum vocalis initio carminis sequentis, ita ex. gr.:

Jamque iter emensi, turres ac tela Latinor [um]

Ardua cernebant juvenes (*VERG., Aen.* 7, 160-161).

Notatu digna est licentia qua, praecedente vocali aut littera -m, e- littera verbi es vel est eliditur etiam in fine carminis, hoc modo: *imost* pro *imo est*, *orandumst* pro *orandum est*.

Haec ratione, ut semper pronuntiasse, ita aliquotiens etiam scripsisse Romani constant, maximeque hoc in libris seu operibus familiaris sermonis, ut in comicorum fabulis Ciceronisque epistulis, animadverte-re licet. Jam apud ceteros scriptores raro formae truncatae in codici-bus deprehenduntur (2).

(2) BAEHRENS, *Poetae Latini Minores*, vol. 1, editoris praef. p.XII, (Ed. B. Teubner).

Apud Horatium plurima invenimus exempla harum duorum figurae. Haec pauca sufficient:

- Sunt quos curriculo pulver[em] Olympicum (*Carm.* 1,1,3).
- Mercator metuens oti[um] et oppidi (*Carm.* 1,1,16).
- seu vis[a] est catulis cerva fidelibus (*Carm.* 1,1,27).
- liber[um] et erectum praesens hortatur et aptat (*Epist.* 1,1,69).

Elisionem in fine quoque versuum invenies, ex. gr.:

- Dissidens plebi numero beator[um]
eximit virtus (*Carm.* 2,2,18).
- Septimi, Gadis aditure mec[um] et
Cantabrum indoctum juga ferre nostr[a] et (*Carm.* 2,6,1-2).
- atque adfigit humo divinae particul[am] aurae (*Epist.* 1,1,69).

3) **TMESIS** est licentia vi cuius verbum compositum dividitur, aliqua littera, syllaba, dictione interposita, ex. gr.: *Per mihi gratum erit perque jucundum* (*Cic. Att.* 5,10,4), pro *pergratum* et *perjucundum*.

Horatius plura offert exempla hujus licentiae poeticae, ita ex. gr.:

Quo me cumque rapit tempestas (*Epist.* 1,1,15).

En tibi alia exempla:

a) *In fine versuum* : unde-octoginta (*Serm.* 2,3,117); inter-est (*Serm.* 1,2,62-63), circum-vectari (*Serm.* 1,6,58); circum-spectemus (*Serm.* 2,2,93); inter-noscere (*Ars Poet.* 424).

b) *In caesura*:

— versuum lyricorum: ex/ercitus (*Carm.* 1,16,21); per/lucidior (*Carm.* 1,18,16); de/promere (*Carm.* 1,37,5); de/torquet (*Carm.* 2,12,25).

— versuum jamborum: in/plumbibus (*Epod.* 1,19); in/aestuet (*Epod.* 11, 15); ab/ominatus (*Epod.* 16,8).

— versuum hexametrorum: ig/noro (*Ars Poet.* 87); in/modulata (*Ars Poet.* 263); utrumque exemplum ex industria, ut malus pingatur versus; oc/cisa (*Serm.* 2,3,134); in/testabilis (*Serm.* 2,3,181).

Notanda exempla quae sequuntur:

- argento post omnia ponas (*Serm.* 1,1,86).
circum me Saturejano vectari rura caballo (*Serm.* 1,6,58).
quo, bone, *circa* (*Serm.* 2,6,95).
quam rem *cumque* (*Carm.* 1,6,3).
quo nos *cumque* (*Carm.* 1,7,25).
quem fors dierum *cumque* dabit (*Carm.* 1,9,14).
quae te *cumque* (*Carm.* 1,27,14).
quando consumet *cumque* (*Serm.* 1,9,33).
qui testamentum tradet tibi *cumque* (*Serm.* 2,5,51).
quo me *cumque* (*Epist.* 1,1,15).
uni/cuique (*Serm.* 1,9,51).

4) *Hiatus* est vocalium concursus in fine et initio vocum, qui vastam et hiantem orationem reddit, ut si dicas, ex. gr.: *bacae aeneae amoenissimae; viro optimo obtemperasti olim.*

In Horationis versibus exempla non desunt. En tibi nonnulla:

- a) In exclamationibus seu epiphonematibus: *o et* (*Carm.* 1,1,2); *o utinam* (*Carm.* 1,35,38; 4,537); *o ego* (*Epod.* 12,25; *Ars Poet.* 301); *o imitatores* (*Epist.* 1,19,19); *o ere* (*Serm.* 2,3,265); *a* (*Epod.* 5,71).
- b) In dactylis: *Threicio Aquilone* (*Epod.* 11,14); *ossibus et capiti inhumato* (*Carm.* 1,28,24).
- c) In caesura elegiambi: *mero arcana* (*Epod.* 11,14); *mollitia amor* (*Epod.* 11,24).
- d) In syllaba correpta longa: *et Esquilinae alites* (*Epod.* 5,100); *si me amas* (*Serm.* 1,9,38).
- e) in verbis finitis in -m: *cocto num adest* (*Serm.* 1,9,38).

Haec sunt praecipua quae de licentiis poeticis tradenda duxi Horatianisque exemplis illustranda. Nunc vero fontes seu scriptores unde has notulas explanare possis proponere juvat. En tibi praecipuos:

HORATIUS, *Opera* edidit Fridericus Klingner, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, 1959.

A. WALTZ, *Des variations de la langue et de la métrique d'Horace dans ses différents ouvrages*, Paris, De Boccard, 1881.

HEINZE, *Die Lyrischen Verse des Horaz*, Leipzig, Teubner, 1918.

GONZÁLEZ DE LA CALLE, *De re metrica Horatiana*, «Emerita» 4 1936, 38-73; 248-275; 5 1937 89-122.

L. QUICHERAT, *Thesaurus poeticus Linguae Latinae*, Paris, Hachette.

F. CRUSIUS, *Römische Metrik*. 2. Auflage, Max Hüber, Verlag, München, 1955 (Est versio hispanica apud «Casa Bosch», Barcinone).

W. J. W. KOSTER, *Traité de Métrique Grecque suivi d'un Précis de Métrique Latine*. Société d'Editions A. W. Sijthoff, Leyde (Pays-Bas), 1954, pp. 384.

M. LAVARENNE, *Initiation à la Métrique et à la Prosodie Latines*. Editions Magnard (122 Bd. Saint-Michel) Paris (6), 1948.

G. MARTÍNEZ CABELLO, *De Arte Metrica Latina*, Madrid (Editorial Cocalusa), 1945, pp. 298.

G. B. PIGHI, *I ritmi e i metri della poesia latina*, con particolare riguardo all'uso di Catullo e d'Orazio. «La Scuola», Editrice, Brescia, 1958, 220 pp.

W. OTT, *Materialen zu Metrik und Stilistik*. 7 vols., Tübingen, Niemeyer, 1972-74.

Confer praeterea lector humanissime, *Palaestram Latinam* n. 143, XXIV, Ann. MCMLIV, pág. 127, notulam alteram.

Toleti, V. Kal. Jul. Ann. MCMLXXV.

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

Toleti in Universitate latinarum litterarum professor
Casa Sacerdotal - San Bartolomé, 1, TOLEDO

ERRATA CORRIGE

Verba orationis meae Roboretanae in *Palaestra Latina* N. 225 (Jul./Dec. 1974), pp. 67-72 edita cum quibusdam in locis aliquantum depravata prodierint, benevolū lectorem oro ut sic emendet:

p. 67, v. 8 ab ima pagina, lege *fundamentum*; v. 3 lege: *vetatur*.

p. 68, v. 9 a summa pagina, lege: *qui nunc sunt*.

v. 3 ab ima pagina, lege: *factum ... nonnullas*.

p. 69, v. 4 paragraphi secundae, lege: *enimvero*.

p. 70, v. 8 ab ima pagina, lege: *Gaertner*.

p. 71, v. 3 a summa pagina, lege: *magis amica*.

B I B L I O G R A P H I A

CAMPE, J. H. — *Robinson*: tironum causa latinitate donatus a Philippo Julio LIEBERKÜHNIO; novam abbreviatam annotationibusque instructam curavit Henricus SCHIESSER. Aubanel, Avignon 1973, pp. 200.

Pueri, adulescentes grandesque natura ficticia interdum legere amant, quibus taedia ac sollicitudines cottidianas abiciant et in res jucundiores mentem avocent. Innumera haec scripta, quae cottidie vulgantur.

Sunt tamen fabulae romanenses quae in laude sunt et in ore omnium versantur: in quibus haud immerito *Robinson Crosoeus* recensetur.

Moderatores *Vitae Latinae* —con-sociata et adjutrice opera praeclari Editoris L. Aubanel— libros lectu faciles edere constituerunt, quibus, qui linguae latinae addiscendae initia ponunt, libenter ac jucunde utantur.

Optimum quidem factu quod commenticia haec naratio in linguam latinam conversa sit: quae, cum jam olim vulgata esset, nunc aliquantulo adstrictior seu brevior, iterum editur.

Jucundum sane perlegere eventus faustos sed adversos praesertim quibus tota Robinsonis vita afflictata est ab eo die quo ei in mentem venit parentes et Hamburgum patriam deserendi ut in futuras et ignotas res toto animi studio se implicaret... Tot illas in mari tempestates et pericula, tot naufragia et sociorum mortes; deinde, ipse solus in insula ignota: in qua infaustissimos casus, infortunia, labores expertus est, usque dum Hispani, facto naufragio —qui Barbadum petebant ut ibi servos africanos exponerent— ad insulam veniunt: quorum

navi tandem in patriam iterum revertitur.

Ceterum, rerum narratio facillima fluit; simplex est dicendi genus latinum, quod in implicatam periodum numquam se contorquet. Res novas dilucide significantur aptisque verbis exprimuntur (*sclopetum, globus plumbeus, tormentum bellicum, pulvis nitratus*). Pauca sunt tamen quae emunctae naris grammaticus vituperaret, atque hypothetam et plagulae emendatorem, celerius laborantes, admoneret.

Opus —quod in fabula caput est— adulescentibus formandis maxime aptum: cum auctor humanas Robinsonis virtutes laudat easque exemplo probat; cum leges in insula promulgat justissimas quibus omnes obtemperare tenentur; cum omnes servat incolumes, Gades Hispanos reducit, grana aurea restituit, Portsmuthiae, in Anglia, viduae praefecti adamantes redonat, praeces Deo saepe fundit, eique gratias agit summaque fiducia divinae providentiae se committit; tranquilli demum beatique in provectam senectutem ipse et Mercurialis, quondam fidelis adjutor et servus, vivunt atque “homines rationem felicitatis cum in hac tum in futura vita consequendae egregie docent”.

PIOVESAN, E. — *Il dolce Nome; Incontro con la Mamma celeste; La Stella del Mare*: excerpta separatim edita e Commentario cui t. “*Miles Immaculatae*”, Roma.

Professoris Aemilii Piovesan nomen iis qui *Palaestram Latinam* et *Latinitatem Vaticanam* legunt, cognitum quidem credimus. Is enim commentariola de lingua latina, de Patri-

bus Ecclesiae, de humanistis scriptoribusque posterioribus erudite vulgarit. Neque ab iis quae ad fidem et pietatem christianam spectant animum avertit, sed ea religiose colit atque exponit. Tribus nos donat opusculis, in quibus pietas erga Virginem Mariam clare splendet, eamque, qua ipse ardet pietate, cum aliis studiose communicare expedit. Ne ibi nimium alta quaesieris argumenta: res enim non ut nova tractatur, neque in recondita penetrat auctor studia; sed quae tu et omnes scimus maximo animi amore explicat atque locis a Sanctis Patribus, a Dante, a Manzoni aliisque Patribus et poetis sumptis scite comprobat atque evolvit.

Ipse "Matrem nostrae fidei" invocat, et cum pio scriptore clamat: "Ardeat mens mea in tuo amore".

AVALLONE, R. — *Scritti latini*, con appendice, Società Scientifica Editrice, Napoli 1970, pp. 206.

Volant tempora nostra... Librum, quem supra memoravi, saepe ad manus habui: eoque interdum recreatus sum pagellas, inflammato igne accensas, legens. Propositum tandem aliquando de hoc libro aliquid dicendi, in *Palaestra Latina*, assequor: non solum ut morem amico geram qui liberalem ac benevolum in me semper exhibuit animum voluitque hoc me donare munere, sed in primis ex ipsa maximi momenti re: cum causa latinitatis his agatur ac solidis confirmetur argumentis.

Etenim, maximum est argumentum quod haec scripta —de latinitate renovanda— lingua quoque latina conscribuntur: latina igitur lingua sua adhuc viget vita. Praeterea, materia de qua agitur primaria prorsus est: nam non in singulis minutisque rebus, sed in ipsa linguae vita, in ejus intima natura, in opportuna renovatione ver-

satur. Ne autem spem tuam fallam, summam libri, lector, tibi expono:

Scritti didattici: "Latinam linguam in syntaxi, in stilo, in lexico renovemus" (*I Congrès International pour le latin vivant*, Avignon 1956). "Quantum et quo modo latina lingua etiam recentes litterarum et doctrinorum illustrare communicareque possit progressus" (*II Congr. Intern. pour le latin v.*, Lyon 1959); "Ut lingua latina vivat et vincat, libertas et concordia sunt maxime necessariae" (*III Congr. Intern. pour le latin v.*, Strasbourg 1963); "Christianam defendo latinitatem" (*Congressus Internationalis Romae habitus*, 1966); "In praesenti rerum discrimine latina lingua ad omnes conjungendas etiam valet gentes" (*IV Congr. Intern. pour le latin v.*, Avignon 1969); "De convenitu Avennico"; "De syntaxi latina Honorati Tescari".

Studi critici: "Quatenus Cicero philosophus Christianam quasi prae-nuntiaverit doctrinam"; "Quid Africa Romae illa quae imperii dicitur aetate dederit"; "Alfanus Salernitanus lumen Europae saeculo XI".

Composizioni varie: "Cicero in posteris"; "Christus ad homines"; "Veni, Christe"; "Franciscus Assisiensis"; "Mater nostra"; "Et caelum se aperuit"; "Tu quoque, Christe"; "Omnibus rei publicae Gallicae moderatoribus..."; "Casimiro Kumaniecki Conventus Varsoviensis praesidi...".

Appendice: "Gli studi classici in Italia. Il latino e il greco baluardi della civiltà occidentale e cristiana"; "Il problema didattico del latino".

Richardus Avallone, haec dum scribit aut recitat totus animo concitatur, notiones in ejus mentem confluunt, ex calamo et ex ore profluenter redundant: tota res vel maxime ei cordi est. Libertatem ipse amat, libertatem quaerit, libertatem defendit: eam

tamen libertatem qua ab illo ficticio nimiumque celebrato et excuto Cicerone liberum se aliosque faciat; latinitatem posteriorem et christianam —quae a multis quasi ignobilis habetur— ipse ut verum linguae thesaurum custodit ac servat. Animi serenitate praeditus, probatis innixus argumentis, adversarios acriter aggreditur, neque ipsi Antonio Bacci, Cardinali, Congressui Romano coram omnibus adstanti —de rei opportunitate judicent alii— parcit, ab eoque quaerit “quanta veritate, quanta utilitate, quanta justitia... tam saepe pro Tertulliano, pro Lactantio, pro Ambrosio, pro Augustino, pro Hieronymo, pro Prudentio Ciceronem substituat vel paganos alios scriptores vel Morcellium vel Vallaurium vel se ipsum”.

Latinitatis praeterea auctor et vindex magna clamat voce: “Latinitas —audeamus hoc plena dicere voce— in periculo est; Roma illa, illa Roma, quae Urbem fecit orbem, in discrimine est; videant consules, ne quid res publica detrimenti capiat. Quis enim dubitet undique in diesque crescentem impetum contra latinam linguam esse contra ipsam latinitatem? Proinde latinam defendamus linguam, defendemus latinitatem”.

Attamen, is qui contra facticum Ciceronem tanta vi impetum facit, ipse et scribendi ratione et arte rhetorica et profluente oratione et subsidiis oratoriis ciceronianus est scriptor. Audi eum dicentem: “Quousque tandem me imitabimini, posteri? Quandiu me sequimini? Quando non servum pecus, sed vos ipsi eritis?... Habetis igitur me, habetis Ciceronem, posteri. Hoc, hoc fui: ego fui orator, ego fui philosophus, ego fui rhetor, ego fui epistularum scriptor, ego, et in dicendo et in disputando et in praeci- piendo et in colloquendo, fui summus, perfectus, quasi divinus, sed, ut ipse vobis latus praebeam, ego —meos illos

Musis et Apolline nullo praetermitto versus— historicus non fui: non enim res populi romani a primordio urbis, non opima casibus tempora, non civilia aut externa bella, non memorabilia facinora perscripsi, nec de gentium origine aut de situ aut moribus, nec de virorum illustrium vita narravi: mea historia tamen, non Livi aut Taciti stilo scripta, diem ex die fuerunt epistulae. Sed, sed, hoc maxime volo animadvertis, posteri, et mea aetate —relinquo poetas— optimi alii latinitatis fuerunt scriptores, nec ante nec post me defecerunt...” (p. 130). “Quin etiam vos, fanatici et temerarii, me et deformastis et cotidie deformatis, ut pars mei, ut semper inflatus tumidusque, ut in dicendo non varius et multiplex, sed semper unus et idem videar; quod me minuit, me laedit, me offendit. Hoc vos obsecro: reddite me mihi, posteri!...” (p. 128).

Neque tantum ciceronianus, sed et sincerus christianus est R. Avallone: ut iis quae de Christo Domino, de B. Virgine Maria, de rebus fidei christiana magna pietate scripsit, aperte confirmatur. Librum lege, rem comprobabis.

Acta Convivii Italici de latinitate: Salerno 28-29 aprile 1971, Edizioni Beta, Salerno 1973.

Congressus ille de latinitate et humanitate Bucurestiis habitus (a. 1970) doctorum excitavit animos: qui aliquotiens vonvenerunt ut gratum maximique ponderis eventum commemorarent et ut in via, quam tunc instraverant, fortes perstarent.

Coactum est, primum Romae, *Convivium Romanum (Tavola rotonda)* de Congressu Bucurestiensi die 3 m. decembris a. 1970, atque paulo post *Convivium Italicum de Latinitate* indictum est, quod die 28 m. aprilis

a. 1971 Salerni sollemniter est aperatum.

In Aula Municipii, quae dicitur, primores civitatis et Universitatis atque maxime conspicui litterarum cultores congregantur. Convivium hoc de latinitate Academia Internationalis de litteris propagandis (A.I.P.C.), Institutum Studiorum Romanorum, Academia Dacoromana, Universitas Salernitana diligentissime apparaverunt.

Ad praesidum mensam et microphonum accedunt ut praesentibus salutem impertiant nomine suo, Coetuum, Societatum: Assessor Administrationis Civitatis, Rei municipalis Curator, Universitatis Rector, Facultatis Literarum Praeses, C. Egger, Abbas —qui nomine Vaticani loquitur—, Sergius Felici —qui nomine Instituti A. Latinitatis—, J. M. Mir —qui quasi legatus Hispaniae—, Alexander Balaci —Rector Academiae Dacoromanæ in Urbe—, Nicolaus Barbu —olim Congressus Bucurestiensis Praeses—, J. Pullara —Rector Coetus Internationalis pro studiis Horatianis—, Richardus Avallone —Universitatis Salernitanae Professor ac praecipuus hujus Convivii auctor et curator—.

Consequuntur orationes primariae Francisci Gligora et R. Avallone. Is, ut assolet, commoto animo, elata voce tristibus illacrimatur verbis studio linguae latinae apud Italos: "Latina lingua, olim maximum bonum, summa gloria, honos decusque Italorum, ex improviso, post saecula et millennia, facta est summum periculum damnumque Italiae: delenda latina lingua, ut Italia vivat et procedat!... Post latinicidium in Italia —mirabile dictu!— nihil jam difficile, omnia facilia, omnes juvenes boni, optimi, ad quamlibet doctrinam artemque aptissimi: majores nostri mediocres fuerunt, multa ignoraverunt, parum fecerunt, nos spernendi, removendi, sepieliendi,

sed praesentia futuraque sunt juvenum hujus aetatis! Ipsi sunt artifices omnium rerum, domini caeli, maris et terrae, arbitri sapientiae et ignorantiae..., Quosque tandem injuriam damnumque inferemus juvenibus, injustum eis concedendo jus, concedendo libertatem, licentiam, arbitrium eligendi disciplinulas pro disciplinis... litterulas pro litteris, contra se, contra societatem, contra patriam?... Lusimus satis: in re tristi etiam ludamus non oportet: non possumus, non debemus, nolumus!".

Insequenti die in Aula Universitatis labores prosequuntur qui lingua italica et latina exponuntur. Orationes habent: A. Traglia, praeses, J. Del Ton, S. Felici, J. M. Mir; J. Ballistreri, F. Barone, R. Del Re, A. Immè. C. Plantemoli La Marca, Baffi, Brasile, Pullara, A. Marani: ex quibus praecipuae et exquisitae sunt orationes Professoris J. Ballistreri et P. Sergii Felici.

Convivium Salernitanum, orationes in eo habitae, ea quae in civitate Hippocratica vidimus et audivimus in eo nos concitant et movent ut, intimum signum altumque nuntium quae ex Congressu Bucurestensi et ex aliis conventibus proveniunt, cum animis nostris commentemur in eosque alte infigamus consilia, proposita, exoptata pro latinitate fovenda, eaque ad effectum forti animo deducamus.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

SHERWIN-WHITE, E. N. — *The roman citizenship*. Second edition. Oxford University Press, 1973. Pag. 498. L 7,00 net.

Prima operis editio, quae triginta circiter annos tanquam tractatus classicus de evolvenda civitate romana in scholis plurimum usitata fuit, in praesens augetur serie novorum capitum

et appendicum, quibus de re colliguntur quam plurimae disputationes historicae quibusque ambitus primi libri amplificatur. Controversiae de rei publicae temporibus, de Latio vetere, de amplificandis finibus tribalibus, de Belli Socialis proposito subtiliter retractantur; itidem rursum agitur de quaestionibus technicis aetatis imperialis, de statu municipii latini romanae evolvendo, de privatis civitatis romanae privilegiis, de juribus italicis, de statu hominum liberorum, de "Constitutione Antoniana". Quae omnia argumenta quattuor voluminis partibus continentur, quarum indicem ad utilitatem legentium preelegamus oportet: Part I: ROMAN CITIZENSHIP DURING THE REPUBLIC: I, ROME AND EARLY LATIUM; II, THE SETTLEMENT OF 338 B.C. AND THE ORIGINS OF THE "MUNICEPS"; III, ORIGINS AND DEVELOPMENT OF THE LATER LATINITY; IV, THE POSITION OF THE ITALIAN "SOCII" IN ROMAN SYSTEM; V, THE AIMS OF THE ALLIES IN THE SOCIAL WAR; VI, THE POLITICAL UNIFICATION OF ITALY AND CONSEQUENT CHANGES; VII, "POPULI LIBERI" AND "FOEDERATI"; APPENDIX TO CHAPTERS I-IV. Part. II: THE PRINCIPATE AND THE CITIZENSHIP. INTRODUCTION. VIII, THE ITALIAN PERIOD; IX, THE CLAUDIAN PROBLEM AND VIRITANE GRANTS; X, THE FLOOD TIDE; XI, CHARACTERISTICS OF THE ROMAN CITIZENSHIP IN THE AGE OF THE ANTONINES; XII, THE UNION OF EAST AND WEST UNDER THE "SEVERI"; Part III: TECHNICAL PROBLEMS OF ROMAN STATUS: XIII, EXTERNS: DUAL CITI-

ZENSHIP AND THE ENFRANCHISEMENT OF INDIVIDUALS; XIV, THE DIRECT ENFRANCHISEMENT OF PROVINCIAL COMMUNES; XV, LATIN RIGHTS AND MUNICIPAL STATUS; XVI, THE "CONSTITUTIONE ANTONIANA": "DEDITICI" AND "RUSTICI"; Par IV: THE ATTITUDE OF THE PROVINCIALS TO THE EMPIRE. THE PROBLEM. XVII, THE WINNING OF ALLEGIANCE; XVIII, THE ATTITUDE OF EDUCATED OPINION; XIX, THE CONSOLIDATION OF LOYALTY IN THE LATE EMPIRE; XX, THE RETROSPECTIVE PANEGYRISTS. BIBLIOGRAPHY. INDEXES.

BARROW, R. H. — *Prefect and Emperor. The "Relationes" of Symmachus a. d. 384.* Ed. Clarendon Press, Oxford University Press, 1973. Pag. XII-246. L 6,25 net.

Relationes Symmachi, anno 384 Urbis Praefecti, quas ipse Imperatori tunc Mediolani commoranti scripserrat, illorum temporum condicionem indolemque significant, prout Praefectus ille accuratissimus quamvis religiosissimus sentiebat atque experiebatur. In eis et interrogat et de rebus administrandis ac justitia reddenda consultit et de negotiis eventibusque qui in Urbe contigerant, sedulo Imperatorem certiores facit. Cum religiosa condizione paganus esset, totis viribus in conservandis antiquis institutionis adversum christianas rerum mutationes pugnat, quasi antesignanum et defensorem sese habens nobilitatis illius quae aliquid veteris splendoris retinere contendit vivendique genus quod ratio et fundamentum exstitit Romae magnificentiae. In libro duae praeviae continentur lucubrationes de

praefectura apud romanos deque Symmachi vita. Textus latinus idem est atque editionis Seek, sed sine apparatu critico, quamvis interpretatione anglica instructus; en textus latinus et versio vernacula primum in Anglia divulgata. Brevis introductio unamquamque Symmachi relationem antecedit, cui non nullae adnotatim culae adduntur; in extremo opere prostat index verborum latinorum publicorum selectusque index universus.

UNIVERSITA DI GENOVA. — ARGENTEA AETAS, *in memoriam Entii V. Marmorale*. Istituto di Filologia Classica e Medievale, Università di Genova, Facoltà di Lettere, 1973. Pag. 306.

Institutum Philologiae Classicae et Mediaevalis Genuense quod Genuensium Professorum commemorationem opportune fecerat (memoremus oportet volumen "Serta Eusebiana" Prof. F. Eusebio, "In memoriam Achillis Beltrami" Prof. Beltrami, "Antidoron" H. H. Paoli dicatum) nunc memoriam clmi. Prof. Entii V. Marmorale colit hoc volumine quo sub indice "ARGENTEA AETAS" lucubrationes de argentea illa aetate litterarum latinarum colliguntur. In hujus modi voluminibus recensendis nihil magis interest quam lucubrationum indicem cum nomine auctorum ad cognitionem utilitatemque legentium proferre: Enzo V. Marmorale (biografia), F. DELLA CORTE; *Bibliografia di Enzo V. Marmorale*, L. PEPE; A. V. Cornelius Celsus, WERNER A. KRENKEL; *Il senso della natura in Seneca tragico*, R. MUGELLESI; *Seneca e gli gnomologi gregi sulla ricchezza*, G. BARABINO; *La "poetica" di Persio*, N. SCIVOLETTO; *L'"Ilioupersis" di Petronio*, G. PUCCIONI; *La "grammatica" di Valerio Probo*, A. DELLA CASA; *Marsiale poeta serio*, P. FRAS-

SINETTI; *Silius Italicus, ein vergessenes Kapitel Literaturgeschichte*, M. VON ALBRECHT; *Apuleio uomo e romanziere*, U. CARRATELLO; *La questione del prologo del "de deo Socratis"*, T. MANTERO; *L'"Erotikós" di Frontone*, S. FASCE; *Gli "Opuscula" di Sereno*, E. ZAFFAGNO; *I "Luperci" di Mariano*, E. MAGIONCALDA.

MANTERO, T. — *Amore e Psiche, struttura di una "Fiaba di magia"*. Ed. Istituto di Filologia Classica e Medievale, Università di Genova, 1973. Pag. 228.

Finis investigationis hujus videtur elementa examinare atque discernere, quibus Appuleius usus est ad "Amoris et Psyches" fabulam exarandam. Omnes critici elementa litteraria, philosophica, religiosa, popularia, quibus Appuleius obnoxius perstitit, ante oculos habere solent. Tamen non paris ratio facta est fabulam "Amoris et Psyches" structuram offerre "fabulae magicae"; quam antea fuisse nullis documentis historicis probari potest ordine diachronico sed tantum indagine quodam synchronico dispositis, quod periti dicunt. Hujus modi autem fabula nullibi prius quam apud Appuleium appareat; verumtamen Amoris et Psyches representationes, quae ad saeculum IV a. Chr. revocantur, quodammodo testimonio confirmantur amplissimae propagationis oralis quae in fabulis quam plurimis invenitur. Id ergo investigare sibi proposuit Prof. Theresa Mantero, quae scilicet elementa ante fabulam Appulei in aetate quadam praelitteraria superiora fuerint. Hanc insequendo viam primum CAP. I: LO STUDIO DELLA FABELLA NEL CAMPO DEL FLOKLORE elementa fabulae investigat per fabulae structuram, per typologiam fabulae graecae, per typologiam "linneianam" vulgo nuncupa-

tam, per comparandi viam atque rationem; CAP. II: VALUTAZIONE DEI MOTIVI DI "FIABA DI MAGIA" NELLA NOVELLA DI APULEIO signa illa usu tradita revocantur: serpens nempe seu draco diraeptor, palatum fascinatum, res interdictae, invidia fraterna, inquisitio ejusque difficultates. CAP. III: LA STRUTTURA DELLA MATERIA DI "AMORE E PSICHE": PRIMO MOVIMENTO et CAP. IV: IL SECONDO MOVIMENTO: ALLA RICERCA DELLO SPOSO SCOMPARSO, structura magica fabellae ejusque vices et evolutio describuntur, donec praecipuae fabulae personae, quam plurimis obstaculis superatis, demum obviae fiunt. Indicibus sex opus valde utile redditur.

UNIVERSITA DI GENOVA. — *Studi Noniani II*. Ed. Istituto di Filologia Classica e Medievale, Università di Genova, 1973.

Optima recensendi librum ratio videtur lectoribus indicem lucubrationum simpliciter offerre, ut aliqua notitia habeatur de hoc altero volumine de rebus nonianis quo haec argumenta colliguntur: G. GARABINO, *I tentativi metrici di Gottlieb Roeper*; F. BERTINI, *Nonio e Fulgenzio*; L. DI SALVO, *Naevianae Danaes fragmenta*; S. S. INGALLINA, *Le citazioni noniane del "Cato Maior" e del "Laelius"*; G. MAGGIULLI, *Properzio in Nonio*; G. RANUCCI, *Il libro XX delle "Res humanae" di Varrone*; E. ZAFFAGNO, *Index verborum quae in saturarum Menipppearum fragmentis inveniuntur*.

DELLA CORTE, F. — *Opuscula III*. Istituto di Filologia Classica e Medievale, Università di Genova, 1972. Pag. 216.

En tertia "Opusculorum" series

qua scripta colliguntur de tribus aetatis augustae poetis: Vergilio, Horatio, Tibullo. Quod ad Vergilium spectat, primum obviam venit lucubratio "Introduzione a Virgilio" inscripta, ubi prooemia ad Vergilii opera ordine disponuntur: *Le Bucoliche* (p. 1), *Le Georgiche, Libro I* (p. 41), *Le Georgiche, Libro II* (p. 51), *Le Georgiche, Libro III* (p. 59), *Le Georgiche, Libro IV* (p. 67), *L'Eneide* (p. 109); praeterea de re vergiliana hae adduntur lucubrationes: *Cinguettando al mattin dare il buon giorno* (p. 109); *I giorni dell'Eneide* (p. 113); *Commento topografico al IX dell'Eneide* (p. 121); *Plena deo* (143). Duae quoque Horatio dicantur lucubrationes: *Vario e Tucca in Filodemo* (p. 149); *La difficile giovinezza di Orazio* (p. 153). Sex ultimae disputationes ad corpus Tibullianum spectant: *La "Vita Tibulli"* (p. 161); *Onomastica Tibulliana* (p. 169); *"Igne" o "Imbre"?* (p. 175); *Tibullo e l'Egitto* (p. 181); *Aspetti sociali del libro del "Corpus Tibullianum"* (p. 191); *Il poeta Lucio Giulio Calido* (p. 197).

JONES, A. H. M. — *Il tardo impero romano* (284-602). Traduzione di Eligio Petretti. Ed. Il Saggiatore, Milano, 1973. Pag. 607. L. 8400.

Clmus. Prof. Historiae Antiquae in Universitate Londiniensi, A. Hug. M. Jones, multa opera historica eaque maximi momenti divulgavit: *The Cities of the Eastern Roman Provinces* (1937) *The Greek City from Alexander to Justinien* (1940), *Athenien Democracy* (1960), *Decline of the Ancient World* (1966), *Sparta* (1967) inter alia opera quae notentur dignissima. Sed opus quod recensemus italice conversum sic inscribitur anglice: "The Later Roman Empire" (284-602) anno 1964 in lucen editum. Hanc ducimus esse operis novitatem quod

imperium romanum velut corpus vivum aestimatur, non ut reliquiae historicae. Eventus enim oculis aequalium potius hominum conspiciuntur, tanquam si auctor extremi imperii cultus paganus esset. Quae cum ita sint, auctor tamen christiane vel iudaice sentiendi atque cogitandi modum sponte non offendit, nisi cum perturbationis politicae vel socialis ratio intercedit. Facta quae describuntur amoenis narrationibus condiuntur et locutionibus ex scriptoribus antiquis excerptis. Claritatem in primis notemus qua auctor, etsi fontium copia non scateret, structuram internam primum regnorum barbarorum in Hispania, in Gallia, in Italia, in Africa Septemtrionali illustravit. Nullibi certo inveniemus tantam notitiarum abundantiam tantamque diversissimarum materiarum summam subili quadam, restaurandi res et facta facultate digestam, quam eruditissimus quisque historicus tantum perfecisset. Hoc primo editionis italicae volumine eventus describuntur ab extremo saeculo II usque ad Constantinum IV (668-685 p. Chr. n.), scilicet ad Africam Septemtrionalem ab Arabibus armis subactam; praeterea hoc volumine continentur duo in primis capita majoris momenti quae in opere inveniuntur: gubernatio rerum publicarum et rerum administrandarum moderatio. Duobus his capitibus vivide revocatur societas romana extremis imperii temporibus: quo sese pacto haberet summa disciplina rerum publicarum, servitia civilia, exercitus, commercium, justitia, juvenum institutio, ecclesia. Quod ad plurimas harum rerum spectat uberrimus documentorum acervus primum congeritur quo ad historiam investigandam summum constituitur monumentum.

ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. - GÄRTNER, H. — *Der Kleine Pauly. Lexicon der Antike*. 23 Lieferung: Schaf-Sponsio. Col. 1-320. Ed. A. Druckenmüller Verlag, München, 1973. DM 25.

Optime ominatis verbis semper suscipimus novum hujus lexici fasciculum quo longinqua eaque maxime aestimanda seris amplificatur. Quem lectoribus offerimus libellum ejusdem indolis atque naturae ducimus quam superiores fasciculos qui jam diu in Palaestra Latina judicio critico sunt instructi. Qui, quamvis obiter fasciculum 23 versaverit manu, statim percipiet quot venerandae antiquitatis thesauri in eo inveniantur. Ibi subtiliter periteque de omni re disseritur: exempli causa, cum de animantibus agitur has voces notemus quae speciali mentione dignae habentur: *Schaf* (ovis), *Schlange* (anguis), *Schmetterling* (papilio), *Schnecke* (conchylia), *Schwein* (sus, porcus); cum clarissimos in historicis viros revocaveris, haec nomina statim tibi legenti obviam prodibunt: *Scipio*, *Scribonius*, *Seleukos*, *Sempronius*, *Seneca*, *Septimius*, *Sergius*, *Sertorius*, *Servilius*, *Servius*, *Sextilius*, *Silius*, *Silius Italicus*, *Simon*, *Simonides*, *Sokrates*, *Solon*, *Sophokles*, *Spartacus*; quod ad res et instituta spectat, en habes quae notentur vocabula: *Schrift*, *Senatus*, *Sepuchri violatio*, *Sibyllen*, *Siglen*, *Signum*, *Silber*, *Sitophylakes*, *Skenikoi agones*, *Sklaverei*, *Spiegel*, *Spile*; si archaeologiam excolis, ne inter alias urbes nobilissimas, quae hic recensentur, locos hispanicos oblitteraveris: *Segisamo*, *Segobriga*, *Segontia*, *Segovia*, *Sicoris* (flumen) aliaque. Quae omnia certo notamus sive ex argumentorum auctoritate sive ex rerum tractandarum amplitudine atque momento.

DEL COL, J. M. — “*Los Hermanos*” de Terencio. Estudio, versión y notas. Ed. Columba, Buenos Aires, 1973. Pág. 112.

Prof. J. M. Del Col, qui in Instituto Superiore Joannis XXIII Sinus Albi (Bahía Blanca) in Argentina litteras latinas tradit et in primis theatro Terentii investigando operam navavit, hac nobis offert editionem operis scaenici, quod “ADELPHOE” inscriptum in optimis Terentii operibus discriminatur. Ad melius poetam Carthagienensem intellegendum, brevem qumvis scitam auctor exaravit introductionem, ubi de Terentii vita et operibus, de theatro terentiano quod ad vim comicam, ad humanitatem, ad comoediarum structuram, ad personas, ad dicendi genus aliaque spectat diserte agit, ut demum de comoedia quae “ADELPHOE” inscribitur disputet non nullas quaestiones revocando, quae sensum moralem, variam juvenum institutionem ceteraque attingunt. Aliquot animadversionibus peractis selectaque bibliographia exposta, vernacula insequitur operis scaenici interpretatio, quae plane nobis arridet atque probatur, cum et textui Terentii sida et hodierno dicendi generi accommodata videatur.

RIPOSATI, B. — *M. Terenti Varronis De vita Populi Romani*. Fonti-Esegesi-Edizione-Critica dei frammenti. Società Editrice “VITA E PENSIERO”, CELUC, Milano, 1972. Pag. 320.

M. Terentius Varro, “eruditissimus omnium romanorum”, hac pulcherri- ma scitissimaque operis “*De vita Populi Romani*” editione quasi reviviscere videtur. Quod eruditissimo viro B. Riposati debetur, qui primam editionem anno 1939 iniquitate belli temporumque deletam retractavit et in

diem refecit. Prima operis parte auctor praecipuam “*De vita Populi Romani*” bibliographiam memorat, quam rationem ac viam secuturus sit exponit, de fontibus fuse disserit, non nullasque agitat quaestiones de operis indice seu titulo, de ejusdem in quatuor libros divisione, de T. Pomponio Attico cui opus dicatum est, de tempore compositionis deque operis fortuna; parte secunda textus quattuor librorum restituitur librique singuli singillatim investigantur; capite secundo secundae partis fragmenta “incertae sedis” uniuscujusque libri disputantur; capite tertio ejusdem partis de ordine et dispositione fragmentorum agitur; quarto demum capite conspectus fit synteticus fontesque Varronis revocantur; tertia et ultima parte M. Terentii Varronis “*De vita Populi Romani*” libronum IIII reliquiae prostant per conspectum siglorum editionum compendiorumque et per fragmenta quattuor librorum. Indice et nominum et verborum memorabilium utiliter finitur opus.

COSTA, C. D. N. — *Seneca, Medea*. Ed. The Clarendon Press, Oxford, 1973. Pag. 168. L 3,30 net in UK.

Cum apud anglos sexaginta abhinc annos Senecae Medea in lucem vulgata sit, haec recens editio veram complet lacunam, quippe quae introductione, textu latino, commentationibus instruatur. Praecipuus fini ejus videtur non tantum hanc Senecae tragediam illustrare verum etiam hanc editionem iis potius utilem reddere qui litteris anglicis et francogallicis student, tragediam Senecae conferendo cum operibus posteriorum scriptorum recentiorum. Vis momentumque Senecae in litteris europaeis plurimum est aestimandum et in primis eminent Medea, eo magis quo eam Euripidis interpretatio historice antecedit et

quam plurimae aliae tragoediae recentiores insequuntur ejusdem argumenti in Anglia, in Francogallia, In Germania; quae omnes magis minusve recta via de Seneca sibi aquam derivant. In introductione de vita poetae cordubensis ejusque operibus agitur, de Seneca et de tragoedia in litteris latinis, de fabula Medeae et de ea ratione qua a Seneca tractata est, de tragoediarum Senecae vi atque momento in litteris europaeis, de textus traditione et manu scriptis, de disciplina metrica prout in dialogis et in partibus lyricis tragoediae appetet. Selecta praeterea notatur bibliographia editionum praecipuarum, commentariorum quibus instructa est Medea, interpretationum anglicarum, manuscriptorum, operum universorum. Medium circiter librum commentationes occupant usque ad extremas paginas, quibus loci, qui explicatione indigent, grammatice, mythologice, aliaque ratione ad legentium utilitatem illustrantur.

BOLGAR, R. R. — *The classical heritage and its beneficiaries*. Ed. Cambridge University Press, 1973. Pag. VIII-592. L. 2,95 net in UK.

Ex anno 1954 quo editum est hoc opus quasi introductio classica et ideo necessaria exstitit ad historiam cultus ac litterarum jam inde ab aetate carolingia usque ad renovatas artes litterasque ineundas atque investigandas. Quem ad finem Prof. R. R. Bolgar continuo elementa "prima manus", quod vulgo dicitur, eaque magni aestimanda largitur, quibus novus rerum conspectus habetur, simulatque argumenta singula singularibus commen-tationibus locupletat, adeo ut vix inveniri potest qui vehementiorem altioremq[ue] visionem historicam habere videatur. Prof. R. R. Bolgar opus recentibus materiis ditat, immo vero

vetustissima argumenta nova luce ac ratione retractat. Primus, quem sibi auctor proposuit, finis patefit in praecipuis mutationibus legum, philosophiae, medicinae, litterarum representandis. Ad ampliorem operis notitiam multum intererit indicem cognoscere: I. The Background; II. The Greek East; III. The Carolingian Age; IV. The Pre-scholastic Age; V. The Scholastic Age; VI. Collapse and New Beginnings; VII. The High Renaissance; VIII. The End of the Renaissance and the Appearance of New Patterns in Classical Education and Scholarship; IX. Education and the Classical Heritage. Notes. Appendix I: Greek MSS. in Italy during the Fifteenth Century. Appendix II: The Translations of Greek and Roman Classics before 1600. Index.

PIERRE, L. — *Aristote, Marche des animaux - Nouveautés des animaux - Index des traités biologiques*. Ed. Société d'Édition "Les Belles Lettres", Paris, 1973. Pag. XX-172. F 55.

En ultimum seriei volumen tractatum biologicorum Aristotelis a Con-sociatione G. Budé vulgatum, quo textus et interpretatio continentur duorum opusculorum quae motui animalium dicantur nec non indices vocum technicarum ab Aristotele usurpatarum in iis quae ad historiam naturalem spectant, nomina nempe animalium, arborum et stirpum, partium corporis, organorum, innumerum, morborum. In introductione universa, qua praemunitur opus, de vera opusculorum attributione aristotelica agitur, de eorum quoque loco in Aristotelis operibus, de tempore seu chro-nologia utriusque opusculi, de editio-nibus et interpretationibus. Notitia quaedam praemittitur, ubi tractatus

“ΙΙΕΠΙ ΙΙΟΡΕΑΣ ΖΩΙΩΝ” explicatur quod ad ejus materiam seu argumentum et ad manu scriptam textus traditionem attinet. Mox textus graecus cum interpretatione gallica et apparatu critico brevibusque annotationibus sequitur universi tractatus. Quo finito, alterum opusculum “ΙΙΕΠΙ ΖΩΙΩΝ ΚΙΝΗΣΕΩΣ” inscriptum obviam venit simili ratione ac via dispositum atque distributum, cui brevis quoque notitia praeit de tractatus argumento et manu scriptis codicibus. Maximo commodo consulentibus aestimamus lexicon franco-gallicum et graecum vocum quibus animantia designantur, indicem graecum nominum animantium cum locis in opusculis biologicis memoratis, indicem partium corporis, organorum, munerum, facultatum pari ratione consignatorum. Ut mos est editoribus opus finitur notulis additiciis ad non nullos opuscularum locos illustrandos.

AUBONNET, J. — *Aristote, Politique, tome II, Deuxième partie, livres V-VI.* Société d’Edition “Les Belles Lettres”, Paris, 1973. Pag. XII-316. F 55.

Actis diurnis et commentariis periodicis hodierni homines fiunt certiores de crebris continuaisque rerum eversionibus atque mutationibus. Idcirco nihil aliud recentioris novitatis videtur quam hi duo Aristotelis libri V-VI operis “ΙΙΟΛΙΤΙΚΩΝ Ε”, “ΙΙΟΛΙΤΙΚΩΝ Ζ” inscripti. Si pracepta aristotelica de re publica ab hominibus hodiernis servarentur et pax regnaret et justitia toto orbe terrarum. Maxime argumentum utriusque libri cognoscere nostra interest: A- CAUSAE UNIVERSAE RERUM NOVARUM: I. Quibus de causis rei publicae moderatio mutetur; II. Causae rerum novarum in re

publica adnumerantur; III. Quae causae sint perturbationum disputantur singillatim; IV. Ex parvis causis interdum magnae oriuntur consequentiae; B- DE SINGULARIBUS CAUSIS E QUIBUS RES NOVAE ORIANTUR ET DE RATIONIBUS AC VIIS QUIBUS RES PUBLICA SALVA FIAT: V. Res novae in re publica populari; VI. Res novae in optimatum imperio; VIII. Quo pacto stabilienda est res publica; IX. Dotes virtutesque gubernatorum civitatum; X. Rei publicae moderandae natura et causae quibus imperium singulare labefactatur; XI. Quo modo salvum fit imperium singulare; XII. De tyrannidum brevitate. Quid de re sentiat Plato. Quae res maximi momenti in subsequenti libro VI complementur: A- CONSIDERATIONES UNIVERSAE: I. De populari dominatu generatim disputatur; B- REGIMEN DEMOCRATICUM INVESTIGATUR: I. Quibus causis varium genus dominationis popularis habeatur; II. Principia et indoles regiminis democratici; III. Aequalitas et justitia in re publica populari et in paucorum dominatione; IV. Regiminis democratici genera; V. Quo pacto imperium populare tutum asservetur; C- DE PAUCORUM DOMINATIONE DISPUTATUR: VI. Variis paucorum dominationis genera; VII. Quibus opibus paucorum dominatio servetur; D- BREVIS QUORUNDAM MAGISTRATUUM DISQUISITIO: VIII. De magistratibus necessariis ceterisque. Liber ceterum eadem ratione atque alii hujus corporis libri disponuntur, quod ad textum graecum spectat cum interpretatione, apparatu critico ad calcem paginarum, annotationibusque additiciis quae in extremo opere prostant per utiles.

FLACELIÈRE, R. - CHAMBRY, E. — *Plutarque, Vies, tome VIII: Sertorius-Pompée*. Société d’Edition “Les Belles Lettres”, Paris, 1973. Pag. 316. F 60.

Hoc volumine Plutarchi Vitae Parallelae vulgo inscriptae continentur in quibus Sertorius cum Eumene et Agesilaus cum Pompeio comparatur. Per ampla notitia de unoquoque viro textum graecum francogallice conversum antecedit additiciaeque annotationes extremum volumen occupant. Qui legerint, statim percipient qua ratione ac via Plutarchus in vitis parallelis conscribendis utatur: primum separatim vitam virorum cum graecorum tum romanorum Eumenis-Sertorii, Agesilai-Pompei describit; deinde quadam eos comparatione confert ostendens quid ingenii, fortunae, rerum gestarum inter se differant aut convenient, ut denique de eis judicium sententiamque promat. Quod ad Sertorii tamen vitam attinet, lectores in primis hispani animadvertere velint Plutarchum sertorianae formae decorum addidisse supra verum, quippe qui fontibus praesertim Sallustii usus esset sertorianis rebus benevolentissimi, ut in introductione validorum testimoniorum auctoritate atque pondere comprobatur.

ALEXIOU, M. — *The ritual lament in Greek tradition*. Cambridge University Press, 1974. Pag. XIV-274. L 5,69 net in UK.

Prof. M. Alexiou historiam “planctus ritualis” apud graecos describit tanquam formam poeticam jam inde ab Homeri aetate per aetatem classicam et byzantinam quae dicuntur usque ad aetatem nostram, in qua instar partis traditionis popularis in praesens persistit. In tres partes auctor dividit opus: PART I: LAMENT

AND RITUAL, ubi, ratione ac via tractandae rei exposita, de tradenda et evolvenda lamentorum consuetudine apud veteres praesertim ad funera quod spectat, agitur; quid etiam ethnica et christiana doctrina senserit de lamentatione; quo pacto lamenta hujus modi ritualia in recenti aetate superfuerint. PART II: GODS, CITIES AND MEN, pars scilicet secunda qua lamenta inquiruntur pro diis, heroibus, hominibus, urbibus deletis effundenda et varia lamentandi genera investigantur. PART III: THE COMMON TRADITION, planctus ritualis structura describitur nec non formulae quibus lamenta produntur. Annotationibus per utilibus opus ditatus quas in extremo volume bibliographia selecta, index universus et index imaginum insequitur. Quae omnia Prof. M. Alexiou summa testimoniorum varietate exponit, quae e fontibus litteris, archaeologicis, anthropologicis per consuetudinem circiter 2500 annos non interruptam desumpsit.

SCHOULER, B. — *Libanios, Discours moraux* (6, 7, 8, 25). Introduction, texte et traduction. Société d’Edition “Les Belles Lettres”, Paris, 1973. Pag. 234.

Ex scriptis quam plurimis Libanii sophistae quattuor distinguuntur orationes quae separatim investigari patiuntur. Nam hujus modi orationes communem materiam ethicam et generalem attingunt et, juxta non nullorum peritorum sententiam, quendam verborum sonum atque argumenta habent praedicationis cynicae stoicae, adeo ut haec opera diatribarum deperditorum furta litteraria videantur. Quae tamen cum ita sint, Libanii orationes cum ejusdem scriptoris litteris magnam auctoritatem habent in scriptis graecis et in iis quae

ad extremam Imperii aetatem cognoscendam attinent. En quattuor orationum index: *De animo insatiabili* (orat. 6), *Divitiae male comparatae infortunatores sunt paupertate* (orat. 7), *De paupertate seu de amicis* (orat. 8), *De servitute* (orat. 25). Praecipua operis pars introductioni universae dicatur, qua Prof. B. Schouler perite sciteque agit de Libanii vita et operibus, de tempore quo orationes ethicas exaravit, de genere harum orationum, de lingua dicendique modo, de earum structura oratoria, de Libanii verborum sono et intentione in orationibus habendis, de argumentatione, de quadam restringendi atque contrahendi amicitiam ratione, de divitiis, de cultu, religione ac fide, de animi cupiditatibus corporisque morbis, de variis moderanda rei publicae generibus, de aequalium moribus describendis atque interpretandis, de justa rerum apud Libanum aequilibritate, de ejusdem cultu litterario civilique ethica. Secunda operis pars textum quattuor orationum continet cum interpretatione francogallica, apparatu critico, brevibusque annotacionibus praeviaque argumenti notitia atque conspectu. In extremo opere indices consignantur locorum geographicorum, nominum propriorum, scriptorum veterum, notionum, verborum graecorum.

DUNCAN-JONES, R. — *The Economy of the Roman Empire: Quantitative studies*. Cambridge at the University Press, 1974. Pag. XVI-396. £. 7,60 net. in UK.

Imperium romanum, si vocabulis ac rationibus militaribus civilibusque uti licet, quaedam exstitit institutio mirum in modum perfecta atque absoluta et quamquam res ejus administranda elementorum pristinorum simplicitatem nusquam transiluit, ta-

men imperium in praesens validissima civitas atque potentia, ut vulgo dicitur, apprime evoluta jure ab omnibus aestimaretur. Pars maxima ci-vium agri culturae simpliciore modo studebant condicionibus technologicis. Subvectio terrestris magnis difficultatibus laborabat; maritima autem agilis erat etsi hieme intermitteretur. Numquam per ampla perfecta est fides ac ratio pecuniarum, adeo ut argentariae parvae raraeque viderentur. Si vocabulis recentibus uti licet, fructus lucrumque nationale multo fuit inferius quam ut pateretur populus qui quinquaginta circiter decies centena milia civium haberet. Quibus difficultatibus rito perpensis, tamen romani pecuniam supeditarunt ad magnas aedificationes peragendas et operam laboremque concitarunt superioris vis atque amplitudinis quam aliae primaevae civitates europaeae. Doctor R. Duncan-Jones plurimos praecipuosque rei administranda romanorum adspectus singillatim considerat pretia rerum atque tributa imposita accurate perpendens, quin divitiarum in unum conglobationem, lucra possibilia redditumque opum in agri culturam praetermittat. Ultima operis parte classes gradusque civium investigat, nec non conatus rei publicae moderatorum ad amplificandam civitatem; quaestiones quoque exagitat maximi momenti disputandas de vini cultura beneficiisque, de agrorum pretiis, de urbe ab romanis constituta. Quae omnia ex documentis nummariis fontium cum epigraphicorum tum litterariorum colligit auctor, mirum in modum ostendendo quam ampliae ex exiguis, qui videntur, fontibus erui possint conjectuae.

GASPAROTTO, G. — *Ancora Lucrezio nel "Bucolicon Carmen" (XII Conflictatio) del Petrarca*. Estratto da DIGNAM DIIS, p. 211-228.

GASPAROTTO, G. — *Il nome di Lucrezio nel Petrarca (La biografia Geronymiana)*. Estratto dagli "Atti e Memorie dell'Accademia Patavina di Scienze Lettere ed Arti, Vol. LXXXV (1972-1973), p. 293-307.

Primum opusculum XII Conflictationi Petrarcae investigandae ab auctore dicatur, qui ope locorum parallelorum strata quaedam discernit communia inter poetas Lucretium et Petrarcam, eo quidem consilio ut dilucide ostendatur quantum Petrarca Lucretii presserit vestigia in ultima ecloga "Bucolici Carminis" exaranda.

Alterum apusculum Prof. J. Gasparotto valida argumentatione comprobare nititur Petrarcam poema lucretianum recta via cognovisse atque imperfectum eum quoque invenisse; quae directa cognitio forsitan Petrarcam compulerit ad amplectendam notitiam de Lucretii morte voluntaria, quae, ut Prof. J. Gasparotto rite probat, tantum a Sancto Hieronymo initium capit.

PALMER, P. J. — *Versificare. Prosodia y Métrica. Sistemas de versificación latina con argumentos y notas*. Ed. Gráficas Miramar, Palma de Mallorca, 1974. Pág. 66. Pesetas: 150.

Opusculum quod recensendum ab auctore suscepimus, ut ipsius verbis utar, "ad usum scholarum" aestimandum est. Idcirco omnia trita via ac ratione procedunt, quam auctor sequitur fida conscientia in exponendis praceptis prosodicis et metricis more

usuque traditis. Aliquam tamen novitatem testificamur in XXVIII poematis latinis ab auctore compositis quibus quamplurima aequa varia argumenta pertractans alumnos ad poemam latinam excolendam et exercendam adhortatus exemplumque imitandum eis praebet.

VROOM, H. — *Batavia Latina*. Ed. E. J. Brill, Leiden, 1973. Pag. 112.

Dtor. H. Vroom latinis versibus reddidit carmina varia poetarum batavorum. Haec tamen est indeoles hujus interpretationis quod non classicas faciendi versus latinos normas auctor observat, sed quandam medii aevi rationem ac viam insequitur quae non in quantitate syllabarum nititur classicorum poetarum more sed in versibus et similiter et eodem modo desinentibus. Nihil interpreti objiciendum, si hoc genus poeseos latinae colenda sibi ipse proposuit, praesertim cum veram, ingenuam, simplicem, venustam condiderit poesim, quamvis non classicam. Quasi in optimorum poetarum batavorum hortulis flosculos pulcherrimos excerptis interpres ad sertorum instar carmina varii argumenti religiosa, amatoria, familiaria, amoris patrii vel naturae plena, historica, litteraria, philosophica aliaque id genus colligenda. Si auctor veniam nobis concesserit, in paginis Palaestrae Latinae non nulla carmina hujus batavi poetae latini recentis ultiro edere possumus poemata quae lectores nostri et amici jucunde degustent.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

VÄÄNÄNEN, V. — *Introduzione al latino volgare*. Casa Editrice. Prof. R. Pàtron, Bologna, 1971. Pag. 406 L. 4900.

Domus Editrix Prof. R. Pàtron de re linguistica latino-romanica legenti- bus offert volumen quod est conver- sio italica editionis francogallicae V. Väänänen in aedibus Klinsieck pari- siensibus a. 1967 (2. edit.) vulgo datae. Conversio et aptatio italica, quae simul a Prof. A. Limentani et A. Grandeso Silvestri est accuratissime exarata, n o b i s omnino probatur. Opus in duas praecipuas quasi di- visiones dispergitur, quarum alia est theoretica, alia litteraria. Prima quinque partes habet: *Prima pars*: DE LATINA LINGUA VULGARI: NOTIONES UNIVERSAE: A) Latinus sermo vulgaris et lingua lati- na B) Sermo latinus gentiumque or- bis dominatio C) Linguae latinae "aetates" D) Sermonis latini vulga- ris fontes E) Ab unitate inde latina usque ad romanicam diversitatem (S9-74). *Pars altera*: DE SONIS: A) De litteris vocalibus B) De litteris consonantibus (75-138). *Tertia pars*: DE VOCIBUS: A) Notiones univer- sae B) Elementa psychica C) Ele- menta socialia D) Elementa ethnica E) Fictio nominis seu onomatopoeia vocesque significanter expressae F) Derivatio G) Compositio H) Creatio vocum ope praeverbiorum I) Sensus mutationes (139-178). *Quarta pars*: DE FORMIS EARUMQUE MU- NERIBUS: A) Notiones universae B) Nomen C) Verbum (179-249). *Quinta pars*: DE ORATIONE: A) De oratione simplici B) De oratione composita C) De constructionibus ab-

solutis (253-284). Pars, quam litterariam vocare licet, ex antho- logia textuum c o n s t a t latino- rum qui locutionibus vulgaribus abundant. Quae anthologia partis theoreticae praestantissimum videtur complementum atque quodam modo campus seu locus ubi regulae superiores observationesque linguisticae ac grammaticae comprobantur. Textus maximi videntur pretii atque momen- ti: A) INSCRIPTIONES: 1. Inscrip- tiones in parietibus defixae; 2. Ta- bellae defixionum; 3. Inscriptiones fu- nerales; B) PAPYRI ET OSTRA- CA; C) PETRONII SATIRICON: Cena Trimalchionis; D) VETUS LATINA ET VULGATA; E) MU- LLOMEDICINAE CHIRONIS ET P. VEGETII RENATI; F) ITINE- RARIUM (peregrinatio) EGERIAE; G) GREGORII TURONENSIS HISTORIA FRANCORUM; H) LEX SALICA; I) APPENDIX PROBI; L) GLOSSAE AEMILIA- NENSES (285-350). Unusquisque textus latini sermonis vulgaris per utili commentario illustratur, quo manu quasi conducti alumni facilius in eis legendis edoceantur (327-350). In extremo opere ver- borum invenitur index, quae ad sermonem latinum, linguas romani- cas, graecam, osco-umbram, linguas germanicas, aliasque spectant. Index auctorum recentium qui in opere me- morantur. Index universus (351-405). Pulcherrimum sane volumen in ae- dibus Prof. R. Pàtron in lucem edi- tum magno erit adjumento tum lin- guae latinae tum linguarum roma- nicarum cultoribus qui italico loqu- ntur sermone.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

TEXTOS PALAESTRA LATINA

GRAMATICA GRIEGA, Planque, Aneme, Lerniaux, 2. ^a ed.	100'—
GRAMATICA LATINA, J. Delgado. (Agotada)	70'—
REPETITORIUM, J. Delgado	70'—
DE ORTHOGRAPHIA LATINA, J. Delgado	20'—
INDEX ORTHOGRAPHICUS, J. Delgado	6'—
CICERONIS PRO ARCHIA ORATIO, J. Delgado	20'—
CICERONIS IN CATILINAM ORATIO PRIMA, J. Delgado	20'—
HISTORIAE SACRAE COMPENDIUM, J. Delgado	20'—
EPITOME HISTORIAE GRAECAE, J. Delgado	20'—
CICERONIS EPISTULAE SELECTAE, J. Mir	20'—
VIRGILI AENEIDOS LIBER II, E. Martija	20'—
PRUDENTI CARMINA SELECTA, E. Martija	20'—
CORNELI NEPOTIS VITAE, M. Ramos	20'—
CICERONIS PRO Q. LIGARIO ORATIO, M. Ramos ...	20'—
MARTIALIS EPRIGRAMMATA, R. Sarmiento	15'—
HORATI CARMINA SELECTA, Zuloaga	20'—
HOMERI ODYSSEA, Lib. I, D. Ruiz	25'—
XENOPHONTIS ANABASIS, M. Ramos	25'—
NOVA VERBA LATINA, J. Mir	500'—

P e d i d o s a :

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.^o 5

BARCELONA (10)

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissas:

- | | |
|-----|---------------------------------------|
| 179 | Isòcrates - Discursos (vol. I) |
| 180 | Ovidi - Amors |
| 181 | Aristòfanes - Comèdies (vol. III) |
| 182 | Cal·limac - Himnes |
| 189 | Cèsar. Guerra de les Gàllies (vol. I) |
| 190 | Aristòfanes. Comèdies (vol. V) |

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA